This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

751j
W935

UC-NRLF

$B 252 372

SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE DECRETIS
IN DEMOSTHENIS AESCHINEA EXSTANTIBUS ATTICIS LIBELLOQUE AESCHINIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE III. MENSIS IANUARII

PUBLICE DEFENDET

IOANNES IACOBUS WORTMANN
BIELEFELDENSIS.

MARBURGI.
TYPIS ACADEMICIS N. G. ELWERTI.
MDCCCLXXVII.

UNIV. OF CALIFORNIA

II 365

Demosthenis orationibus cum operam studiumque nauassem atque praecipue ad orationem *περὶ στεφάνου* inscriptam animum conuertissem, decretis illis, quae Demosthenes ad confirmandas sententias recitanda curauit, incitatus sum, ut accuratius, quid de iis esset iudicandum, indagarem. Quam ad rem imprimis me mouerunt scholae academicae, quae doctissimus uir A. Kirchhoff Berolini per semestre hibernum antecedentis anni et de ipsa oratione *περὶ στεφάνου* et de antiquitatibus graecis habuit. Itaque cum magnum fructum ex his scholis cepissem, instituta Atheniensium planius cognouissem aliaque ad quaestionem illam recte diiudicandam pertinentia clarius intellexissem, cuius rei uiro mira quadam doctrina omnem antiquitatem amplectenti, qui ad haec studia me impulit, summas gratias ago, magis magisque animum induxi, quam diligentissimam curam et laborem in psephismata orationi, quae est de corona, inserta impendere. Sane Schömann [1]), cuius auctoritas maxima habenda est, de iis »certius aliquid et uerisimilius inueniri posse desperat«, attamen nostra memoria tot doctissimi uiri tam subtiliter et quasi adamussim rem tractauerunt, ut non iam omnia dubia et incerta esse mihi uideantur.

Postquam enim per multa saecula decreta, de quibus agitur, pro integris actis publicis habita sunt, neque olim Corsinus [2]), Palmerius, Contarenus [3]), quamquam nonnulla non satis

---

1) Schoemann: de comitiis Atheniensium, Gryph. MDCCCXIX, p. 145.
2) Corsini: Fasti attici. Flor. 1744. I, p. 299 sq.
3) Contarenus: Uariae lectiones XVII, p. 87. 94 sq.

471727

TO VIMU
AMROTLIAO

aperta ad intellegendum esse cognouerant, dubitauerunt, quin ea ipsa ex Demosthenis aetate originem ducerent, neque Schoemann[1]), Boeckh[2]), Spengel[3]), Winiewski[4]), uiri optime de hac quaestione meriti, qui difficultates multas artificiosissime et sagacissime tollere studebant, ea genuina esse negauerunt, primus Brückner[5]) alia pro ueris habuit, alia falsificata reiecit. Eodem fere tempore cum Dissen[6]) ostendisset, inter haec monumenta alia manifesto genuina, alia propter difficultates historicas non supposita, sed quantum fieri posset defendenda esse, Droysen[7]) insigni sagacitate demonstrauit, quaecunque documenta in oratione de corona inuenirentur a uiro quodam grammatico uel rhetore esse ficta. Nec tamen haec sententia omnium philologorum consensum assecuta est. Nam non multo post Voemel[8]) aduersus eam uehementissime

---

1) Schoemann: de comitiis Atheniensium, Gryph. MDCCCXIX, p. 131 sq.

2) Boeckh: de archontibus atticis pseudeponymis, act. acad. Berol. 1827. opusc. IV, p. 266 sqq. Berol. MDCCCLXXIIII.
— ind. lect. Berol. per sem. hib. MDCCCXXVII—VIII.
— Die Staatshaushaltung der Athener, ed. 2. Berol. 1851. 3 voll.

3) Spengel: Mus. Rhen. II, Bonn 1828, p. 367 sq.: Ueber die sog. Pseudeponymi in Demosthenes' Rede für Ktesiphon.

4) Winiewski: Commentar. hist. et chronolog. in Dem. orat. de cor. p. 291 sqq.
Adde: Dodwell: de ueteribus Graecorum et Rom. cyclis, Oxon 1701. diss. III, sect. 41, p. 192 sq.
Rauchenstein: Bremii ed. orat. de cor. excurs. II, p. 205 sq. 1829.
Franz: elementa epigraphices graecae, Berol. MDCCCXL, p. 320 sq.

5) Brückner: König Philipp und die hellenischen Staaten. Gött. 1837. app. V.

6) Dissen: ed. orationis Demosthenis de corona, Gott. 1837. p. 198 sq.

7) Droysen: Die Urkunden in Demosthenes' Rede vom Kranz: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1839 n. 68 sq. (not. signif. I).
— Die Urkunden in Demosthenes' Rede vom Kranze betreffend. ib. 1845, n. 2 sq.

8) Voemel: Die Aechtheit der Urkunden in des Demosthenes' Rede vom Kranz: 4 progr. Francofurt. a. M. 1841—1845.
— Chronologie der Urkunden in des Demosthenes Rede vom Kranze, Mus. Rhen. Bonn. 1842, p. 535 sq.

disputauit atque Boeckhii aliorumque opinionem sequens, nonnulla decreta, quae satis defendi non possent, tametsi ex corpore aliquo decretorum ex tabulario attico promptorum fluxissent, errore eius, qui ea interposuisset, falsum locum obtinere, ceterorum αὐθεντίαν certam esse existimauit. Uerumtamen idem uir doctus postea sententia commutata multa, quae antea contenderat, aliter se habere concessit [1]). Tantisper Boehnecke [2]) acerrime omnium documentorum fidem atque auctoritatem defendit, propter coniecturas nimis artificiosas neque Voemelii neque Westermanni [3]) assensum sibi pariens. Nonnullis deinde annis interiectis U. Köhler [4]) diligentissime et summa cum subtilitate inscriptionem quandam mutilatam suppleuit, qua decretum Atheniensium ex anno a Chr. n. 409 usque ad annum 408 continetur. Cuius decreti cum singulae partes inueniantur

---

Voemel; rec. dissert. A. Westermanni: Untersuchungen über die in die attischen Redner eingelegten Urkunden: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1851. nn. 30 et 31.

— edit. Demosthenis orationum contra Aeschinem de corona et de falsa legatione, Lips. MDCCCLXII, praef. p. V sq.

1) Vid. utramque Uoemelii disputationem in annotatione antecedent. postremo loco allatam.

2) Boehnecke: Forschungen auf dem Gebiete der attischen Redner. Berlin 1843.

— Demosthenes, Lykurgos, Hypereides. Berlin 1864.

3) Westermann: Ausgewählte Reden des Demosthenes, 2. vol. Berlin 1874, praef. p. 4. not.

— de litis instrumentis, quae exstant in Demosthenis oratione in Midiam. Lips. 1844.

— Quaestiones Demosthenicae. Lipsiae 1830—1837 (uol. III).

— Untersuchungen über die in die attischen Redner eingelegten Urkunden: Abh. der philol.-histor. Kl. der Königl. sächs. Ges. der Wissensch. 1850, I, p. 1 sq.

— de iurisiurandi iudicum Ath. formula, quae exstat in Dem. orat. in Tim. 1858.

— in Bekkeri edit. stereot. Dem. T. III, p. 311,

4) Köhler, Attische Inschriften: Hermes, uol. II, p. 27 sq. Berlin 1867, cf. Bergk im Philologus 1873 p. 669.

Wecklein: Berichte der Münchener Akademie 1873 p. 1.

Kirchhoff: Inscriptiones Atticae n. 61.

in Demosthenis orationibus contra Aristocratem et Macartatum, quae mirum in modum inter se consentiunt, F. Franke [1]) autem declarasset, formulas legum, quae in oratione contra Aristocratem reperiuntur, ex ipsis uerbis oratoris esse conformatas a uiro quodam grammatico, Koehler, Frankii coniecturam falsam neque illas solum formulas, sed etiam alia documenta, quae in aliis orationibus obuiam fiunt, adhuc pro subditiciis habita genuina esse, suspicatus est. Accedit, quod Rhusopulos [2]) quidam, uir doctus Graecorum, abhinc nouem fere annos titulum publicauit [2]), qui, si paucas digressiones exceperis, ad uerbum fere congruit cum senatusconsulto, quod in Demosthenis oratione *περὶ στεφάνου* inscripta legitur. Hoc autem decretum merito maximas dubitationes excitauit. Nam cum ille uir lapidem, in quo psephisma fuisse dicit, ipse non uidisset, sed *Γεωργιάδην* quendam decretum transscripsisse contendisset, neque lapis adhuc in publicum prodiisset multaque alia accedant, e quibus elucere uidetur, eum omnino non adesse, hoc documentum minime ualet. Ceterum et Sauppe [3]) et C. Curtius [4]) tam diserte de hac re disputauerunt, ut satis habeam, lectores ad eos reiicere. Neque minus, quod ad titulum illum Koehlerianum attinet, Philippi [5]), cuius iudicium de his rebus minime sper-

1) F. Franke: De legum formulis, quae in Demosthenis Aristocratea reperiuntur. Misen. 1848.
— De decretis Amphictyonum, quae apud Demosthenem reperiuntur. Lips. 1844.

2) Rhusopulos: *Ἐφημερὶς τῶν φιλομαθῶν* d. XIV mens. Aug. 1867.

3) Sauppe: acta 25mae congr. philol. germ. Halae a die 1—4 mens. Octobr. 1867. Lipsiae 1868.

4) C. Curtius: Philologus uol. XXVI, p. 190 seq. Gött. MDCCCLXVII.

5) Philippi: Der athenische Volksbeschluss von 40⁹/₈; Fleckeisens Jahrb. für class. Philol., XVIII, p. 577 sq.; 1872:
I. p. 578—594. Die Urkunden der Demosthenischen Rede gegen Aristokrates und die attische Blutsgerichtsbarkeit.
II. p. 594—605. Kritik einer in die pseudodemosthenischen Rede gegen Makartatus eingelegten Urkunde und der ihr parallelen Schriftquellen.
III. p. 605—607. Ergebnisse für die Beurtheilung der Rednerurkunden.

nendum est, satis mihi uidetur docuisse, eos locos, qui in Demosthenis Aristocratea occurrunt, ex illo titulo neque pro genuinis neque pro subditiciis habendos esse, quia alii exempla fuissent, quae sequens Koehler inscriptionem mutilatam restituisset, alii non solum cum decreto uero, sed etiam cum Demosthenis uerbis omnino fere consentirent. Formulae autem orationis Macartateae § 57, quae in uniuersum cum priore parte eiusdem tituli congruunt, quamquam singula membra alio ordine disposita sunt, neque ex uerbis oratoris neque ex aliis scriptoribus, quantum scimus, haustae esse possunt, sed manifesto a probato auctore profectae sunt. Itaque quaeritur, num omnibus eiusmodi actis publicis, quae in orationibus Demosthenis aliorumque oratorum exstant, eadem fides sit habenda. Quod Philippi (p. 606) suo iure negasse mihi uidetur, quippe qui exponat, in hanc quaestionem incumbentibus accuratissime inuestigandum esse, quid de singulis documentis singulis orationibus insertis statuendum sit, cum, prout insertor bona aut incerta exempla secutus sit, decreta magni aut parui aestimanda sint [1]). Age uero, quam diligentissime

---

Philippi: Der Areopag und die Epheten. Berlin 1874. p. 295. 341 A (ad Andokidis Myst. § 84); Anhang p. 333 sq. Volksbeschluss der Athener vom Jahre $40^{9}/_{8}$.

1) Quare conferas ea, quae alii clarissimi uiri de aliis documentis orationibus additis perscrutati sunt. Dico praesertim hos:
Cobet: Byzantinorum ψήφισμα apud Demosthenem emendatum: Mnemosyne XI, p. 195—199.
C. F. Hermann: de lege in orat. Dem. in Midiam: ind. lect. Marb. $18^{33}/_{34}$.
— de proëdris apud Athenienses: ind. lect. Gott. 1843.
— de Dracone legum latore Attico (p. 13 sq.).
A. Schaefer: Des jüngern Meidias Ehrendekret für Phokion: Philologus IX. (1854) p. 163 sq.
Newman: Remarks on the documents in the De corona of Demosthenes: The classical Museum uol. I. (1844) p. 141—169.
Bakius: Apsinis et Longini rhetorica, Oxon. MDCCCXLIX. p. 179—180 (de § 29 orat. de cor.).
Seeliger: Das Erbschaftsgesetz in Demosthenes' Makartatea §. 51 Mus. Rhen. N. F. XXXI fasc. 2. p. 176 sq.

quaeramus, quantam fidem decretis, quae in oratione de corona reperiuntur, attribuere possimus! Priusquam autem ad ipsam quaestionem tractandam transeam, restat, ut pauca memorem de ratione, quam in dissertatione secuturus sum.

Primum enim cum materia, quam ad quaerendam accessi, copiosior sit, quam ut omnia huc spectantia plane explicare possim, liceat mihi, decreta tantum senatus populique Atheniensium animo perlustrare. Deinde quod iam Droysenius de rebus historicis distincte atque dilucide disputauit, has quoque ex dissertatione mihi exterminandas esse arbitror. Quare nihil fere relinquitur, nisi ut de forma decretorum, i. e. de praescriptionibus et ipsis decretis, de genere dicendi, quod in utrisque usurpatur, de institutis quibusdam Atheniensium, quae respicienda sunt, denique quomodo tituli illi orta et orationi suppositi sint, fusius dicam. Tripartita igitur dissertatione primum de praescriptis solemnibus, tum de ipsis decretis, postremo de tempore, quo decreta composita sint, et de auctore quid sentiam exponam.

Funkhaenel zu Demosthenes XVIII, § 289 in Philol. VI et VII.
Bernays: Grabschrift auf die bei Chaeronea Gefallenen: Mus. Rhen. N. F. XIV. p. 321.
Ribbeck: Grabschrift auf die bei Chaeronea Gefallenen (Dem. de cor. § 289). Neues schweizerisches Museum II (1862) p. 147 sq.
Joh. v. Gott. Frölich: Ueber die in Demosthenes Rede über die Krone erhaltene Grabschrift auf die bei Chaeronea gefallenen Athenäer. Abh. der I. Klasse der Kgl. Ak. der Wissensch. VI, 1. Abth. München 1850.

Caput. I.

Praescriptiones.

Decretis, quae Athenis ex aetate fere Euclidis archontis exarabantur, ad tempus quam accuratissime significandum, hae formulae praescribebantur: primum locum obtinebat nomen archontis: *Ἐπὶ Κλεομάχου ἄρχοντος*, tum designabatur prytania et quota ea esset in ordine prytaniarum: *ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίδος ἑνδεκάτης πρυτανείας*, plerumque [1]) sequebatur nomen scribae: *ᾗ .... οχίνου Κήττιος ἐγραμμάτευε*, deinde dies mensis: *Θαργηλιῶνος ἑνδεκάτῃ* et prytaniae: *ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας* addebantur, saepe apponebatur significatio *ἐκκλησία* (*ἐκκλησία κυρία* C. I. Gr. I. n. 111; *ἐκκλ. ἐν τῷ θεάτρῳ* ib. 113; *ἐκκλ. κυρία ἐν τῷ θεάτρῳ* ib. n. 122; *ἐκκλ. ἐμ Πειραιεῖ* ib. 112), tum scribebatur nomen epistatae proëdrorum (interdum etiam sociorum eius ut in C. I. G. I. n. 111): *τῶν προέδρων ἐπεψήφιζεν Λέων Τ(ρι)κορύσιος* (*καὶ συμπρόεδροι .... στρατος Αἰθαλίδης* etc.), non raro consensus senatus populique: *ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* (C. I. Gr. I, nn. 76, 86, 90, 111, 122; Franz: elementa epigr. n. 96. Kirchhoff: Inscript. att. vol. I, n. 65) uel *ἔδοξε τῷ δήμῳ* (C. I. Gr. I, nn. 106. 112. 113), quia decretum populi ante a senatum deliberatum erat, aut notio senatusconsulti: *ἔδοξε τῇ βουλῇ* (C. I. Gr. I, n. 124) [2]) adiiciebatur. Finem

1) Desideratur scriba e. gr. in C. I. Gr. I. nn. 96. 105.

2) Hae formulae desunt: C. I. Gr. I, nn. 96. 105. 108.

praescriptionum fecit nomen legis latoris ὁ ... εἶπεν [1]) (cf. Schoemann: Griech. Alterth., ed. II, Berol. 1861, uol. I, p. 400; id. Antiquitates iuris publ. Graecorum, Gryph. MDCCCXXXVIII p. 225; Boehnecke: Forschungen etc. p. 355 § 2; Franz: el. p. 319 seqq.

Conferentes cum hac Demosthenea aetate constante ratione praescriptiones componendi ea, quae decretis in oratione de corona exstantibus praeposita sunt, multa offendemus, quae illi consuetudini Atheniensium non satis respondeant (Boeckh: opusc. IV, p. 292; Schoemann de com. p. 133 seqq.). Primum enim in eo haeremus, quod in § 116 praescriptiones tam mutilatas reperimus, ut uix praescriptionum nomine dignae sint. Quod eo maiorem dubitationem affert, quo diligentius Athenienses semper tempus, quo singula decreta orta sunt, significare studebant. Neque Boeckhio assentiar, qui formulas desideratas eam ob causam omissas esse putat, quia in antecedente § 115 aliud decretum in eodem concilio populi ab eodem Callia Phrearrio rogatum allatum sit, insertoremque eadem, quae ibi iam scripserat, hic isdem uerbis reddere opus non esse existimasse. Nam si quidem interpolator praescripta solemnia superuacanea esse iudicasset, cur rudera, ut ita dicam, eorum: πρυτάνεων .... γνώμῃ scripsit, cur morem Atheniensium neglexit, qui, si complura decreta eidem contioni populi placuerant, praescriptionibus praemissis, ceteris decretis sola nomina rogatorum annectebant (C. I. Gr. I, 93; 84; 87; 101; 102; 115. Kirchhoff: I. A. I, n. 59)? Nihilominus illarum praescriptionum mancarum analogia quaedam exstat, non sane apud Athenienses, sed apud gentes externas, quae minorem operam in tempore decretorum notando posuerunt. Cuius rei exempla multa integra nobis tradita reperiuntur in C. I. Gr. II, nn. 3069 (Teo.); 3137 II et III (Smyrn.); 3595 (Il.); 3655 (Cyzic.),

1) Eadem integerrima forma praescriptionum, quae in C. I. Gr. I, nr. 111 reperitur, affertur a Pittakis, eph. arch. nn. 3453. 1372. 1428 (cf. Boehnecke: Demosthenes etc. pp. 301 n. 1; 255; 302; 208) 4046. Rangabé: Ant. Hell. II, n. 386 (cf. Boehnecke: ib. p. 209 n. 1). C. I. Gr. I. nn. 90. 96. 105. 108. 112. 113. 122. 124.

Add. et corr. 2263 c. (Amorg.); 2374 c, d, e (Par.); 2775 b (Aphrod.) etc.

Ceterum *idem, quod de praescriptionibus § 116 dictum est, etiam ad uniuersa fere praescripta solemnia pertinet, quorum nullum quam expectamus formam habeat,* immo in aliis aliae partes desiderentur. Atque ne memorem uerba *ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*, quae aut omnino desunt (§§ 29, 73, 84, 105, 118, 181) — id quod Athenis perraro factum est (cf. p. 7) — aut locutionibus *γνώμῃ βουλῆς, γνώμῃ βουλῆς καὶ δήμου* (§§ 37, 75, 115, 116, 164, 165) etc. compensantur (cf. p. 14—15), primum *omnes praescriptiones decretorum, quae in oratione de corona inueniuntur, significatione, quota prytania in ordine prytaniarum sit, carent.* Neque minus eo Atheniensium mos uiolatur, quod *ne dies quidem prytaniae in ullo decreto notatur,* quin etiam *ipsa prytania in §§ 37, 73, 115, 165 plane praetermittitur.* Accedit § *75*, *in qua prytania* non tam desideratur, sed potius *falsa ratione uerbis ipsius decreti admixta est.* Tum *nomen epistatae proëdrorum,* quod in nullo Atheniensium decreto non reperi, *omnibus psephismatis orationi de corona insertis deest.* Denique *in §§ 164 et 165 nomen legis latoris omittitur,* quod *in § 75* non minus *falso* quam *significatio prytaniae* non praescriptionibus additum est, sed *ipsum decretum subsequitur.*

Quaecunque uestigia, ut ita dicam, neglegentiae attigi, animaduertuntur in titulis quoque *Graecorum Asiam minorem et insulas prope sitas incolentium.* Ubi cum uerba *ἔδοξ. κτέ.* saepe omittuntur (C. I. Gr. II, 2270, 2271 (Del.); 2677 b (Ias.); 3069 (Ten.); 3595 (Aphrod.) etc.), tum prytania aut omnino non aut non satis accurate significatur (cf. Franz: el. ep. p. 324 sub 2). Item nomen epistatae proëdrorum eaedem gentes externae praetermiserunt, quae frequentissime etiam nomen legis latoris silentio praeterierunt: C. I. Gr. II, 2656 (Halic.); 2909 (Mycal.); 3046; 3047; 3048; 3052; 3056; 3057; 3058; 3065; 3066; 3067; 3068 A. B. 3069 (Te.); 3137 (Smyrn.); 3521 (Nacr.); 3656 (Cyz.); 3658 (ib.) [cf. Add. et corr. 2083 d (Olbiop.)]; 2057 A; 2059 (Olb.); 2060 (Byz.).

Quod ad § 75 attinet, in qua uerba: πρυτανεία φυλῆς Ἱπποθοωντίδος. Ἀριστοφῶν Κολλυτεὺς πρόεδρος εἶπεν fini apposita sunt, neque apud Athenienses neque ad Graecos asiaticos simile quidquam inueni, attamen analogia quaedam exstat in C. I. Gr. I, n. 1752 (Op.), ubi formulae: ἄρχ. Ἐροδάμω, Νικόβουλος Νικοτέ[λεος ἐγραμμάτευε], quae in numero praescriptionum habendae sunt, finem decreti faciunt.

Priusquam ad singula uerba praescriptionum tractanda aggrediar, non missam faciam uarietatem quandam, quae in dispositis membris praescriptionum ab auctore decretorum, de quibus agitur, usurpata est. Quippe cum in genuinis psephismatis ordo formularum Demosthenea quidem aetate Athenis semper certus fuerit, in oratione de corona series illa non satis obseruata est. Nam in §§ 29, 75, 84, 105, 115, 118, 164, 165 partes ita ordinantur: nomen archontis, dies mensis, prytania, nomen rogatoris; in § 181 forma praescriptionum haec est: nomen archontis, prytania, dies mensis, nomen legis latoris; §§ 37 et 73 ita inter se differunt, ut in hac nomini archontis praemisso significatio συγκλήτου ἐκκλησίας addatur, quam uerba ... βουλῆς γνώμῃ, dies mensis, nomen rogatoris, sequuntur, in illa nomini archontis dies mensis, uerba ἐκκλησία σύγκλητος nomenque legis latoris adiungantur. Denique § 116 et a ceteris quas memoraui praescriptionibus et a decretis genuinis maxime abhorret, quippe quae nomen legis latoris primo loco tum: βουλῆς γνώμῃ praebeat.

Coniungitur cum hac uarietate collocationis membrorum uarietas quaedam collocationis etiam uerborum, cum primum modo nomen archontis ante significationem muneris eius secundum consuetudinem Atheniensium positum sit, ut in §§ 37, 54, 75, 84 (cf. C. I. Gr. I, 85. 90. 96. 103. 105. 111. 113. 122. 124), modo priore loco munus archontis deinde nomen eius legatur, id quod generi dicendi Demosthenei temporis repugnat, congruit et cum sermone forensi aetate imperatorum Romanorum usitato [C. I. G. I, 190. 353. Add. et corr. 274 b etc.) et cum consuetudine Graecorum in Asia minore habitantium

[C. I. Gr. II, 2059 (Olb.); 2081 (ib.); 2383 (Ten.); 2953 (Eph.); 3663 A (Cyz.); 3749 (Nic.)], ut in §§ 29, 73, 105, 118, 164, 165, 180, 115. Haud secus in § 37 uerbum *συγκλήτου* uerbo *ἐκκλησίας* postpositum, in § 73 autem *ἐκκλησία σύγκλητος* dictum est, atque in hac quidem aptius, si locutionem *ἐκκλησία κυρία* (p. 7) ab Atheniensibus simili ratione usurpatam respicere licet. Denique in §§ 37, 73, 116, 164, 165 legimus: *βουλῆς* (*κτέ.*) *γνώμῃ*, in § 115 collocatione mutata: *γνώμῃ βουλῆς καὶ δήμου.*

Atque ut haec cum consuetudine iudiciali Atheniensium non conueniunt, ita multa alia ad genus scribendi pertinentia reperiuntur, quae noua et inaudita Demostheneo tempore uideantur esse. Huc spectat, ut initium faciam a notatione archontum, qui primo loco memorantur, § 115, in qua pro *ἐπὶ* cum genetiuo nominatiuus: *ἄρχων Δημόνικος Φλυεὺς* positus est. Qua de forma rectissime Franz: el. ep. p. 321 an.** »nec« inquit »nominatiuus aliis exemplis defendi potest quam Romanis, cf. Allg. Litterat. Zeit. Nov. 1838. p. 355 sq.«; neque ipse simile quidquam usquam animaduerti, nisi in dubio decreto secundo uitis X oratorum Pseudoplut. addito, ubi *Ἄρχων Πυθάρατος* exstat. Sed non solum nominatiuus dubitationem affert, uerum etiam ex doctissimorum uirorum consensu in atticis decretis »archontibus atticis nec patris nec demoticum nomen additur«. (Franz: l. c.; cf. Droysen I p. 925. Boeckh. opusc. IV, p. 292). Cohaerent cum hac re uerba: *ἐπὶ Χαιρώνδου Ἡγήμονος* (§. 84), in quibus, si lectio illa recta est — neque id, quod alii codices habent: *Ἡγέμονος* uel *ἡγεμόνος*, praeferendum mihi uidetur esse — Droysen (I p. 816) merito ac iure haesit. Nam tali sermone Athenienses Demosthenis aetate non utebantur, sed aut solum nomen archontis consignabant, aut, si nonnullis annis ante archon quidam idem nomen habuerat, ad utrumque distinguendum nomine antecessoris addito hanc formulam adhibebant: *ἐπὶ τοῦ δεῖνος τοῦ μετὰ τὸν δεῖνα* [cf. exempla a Boeckhio in C. I. Gr. I, 113 ann. allata]. Posterioribus autem temporibus et Athenis cognomines archontes nomine patris adiecto distinguebantur, cuius rei Voemel in

progr. 1843, p. 4 (cf. ed..: Demosthenis oratt. c. Aesch. de cor. et de falsa leg. Lips. 1862 not. 2 ad § 84) ad testimonium uocat: Hall. arch. Bl. 1838 n. 196; Keil: anal. p. 17 not. 1, p. 250, cf. C. I. Gr. I, 269 etc., et in Asia minore eadem consuetudo ualebat: C. I. Gr. II, 3663 A (Cyz.); 3749 (Nic.) etc. .

Sequitur in plerisque decretis orationis de corona notatio dierum mensium, quae, quamquam in uniuersum ab usu Atheniensium non abhorret, tamen proprietatibus quibusdam non uacat. Huc referenda est significatio *μηνὸς .... ἀπιόντος* in §§ 37. 84. 118, qua finis mensis exprimitur, pro: *μηνὸς φθίνοντος*: Franz: n. 56. l. 2. 4. 6. 8. Kirchhoff: I. A. I, n. 4 l. 16. 17. Dem. *περὶ παρ.* §. 60 etc. Iterum illud *μηνὸς .. ἀπιόντος*, quod ab Atheniensibus quantum scio non usurpatum est, cum apud alias externas gentes tum apud *Graecos Asiam minorem incolentes* exstat: Hermes, 1876 uol. 11 p. 98 a et b (Tan.), C. I. Gr. II, 2265 (Del.); 2360 (Ze.); 3597a (Il.); 3598 (ib.); 3658 (Cyz.). Deinde in § 73 cum legamus: *μηνὸς βοηδρομιῶνος* dies mensis plane omittitur, id quod nullo modo excusari potest. Voemel sane (in ed. not. 2) lacunam statuendam esse putat, sed quoniam neque ullum in codicibus signum lacunae est et haud raro auctorem decretorum exemplum aliorum gentium imitantem deprehendimus saepiusque deprehendemus, diem excidisse non arbitror, praesertim cum in multis aliis Graecorum ciuitatibus item parum accurate dies mensis notetur: C. I. Gr. II, 1701 (Delph.), 1702—1709, 1699 (Delph.); 1607 (Chal.); 1569 (Orch.); 2656 (Hal.); 2679 (Ias.); 3070 (Te.); 3137 II (Smyrn.); Add. et corr. n. 2416b (Nax.). Denique non dubito, quin longius progressurus sim, si haereo in uerbo *μηνός*, quod in §§ [73] 105, 164, 165 diei mensis additum est. Tametsi enim Boeckh in C. I. Gr. I nn. 72, 114 uerbum *μηνὸς* intercalat, tamen coniecturae eius nimiam fidem non habeam, cum omnes fere tituli Atheniensium illo loco integri illud uerbum non exhibeant. Atque caue ne uerba, quae in Aeschinis Ctesiphonteae § 27 leguntur: *ἐπὶ γὰρ Χαιρώνδου ἄρχοντος θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος* mihi obiicias, ubi uerbum

μηνὸς secunda manu superscriptum sit. Quare And. Weidner in editionis orationis Aeschinis in Ctesiphontem (Lips. MDCCCLXXII) annotatione ad § 27 suo iure monet: »Illud quidem certum est, persaepe ab Graecis ad mensium nomina ipsum appellatiuum nomen μὴν uel μηνὸς additum esse, sed nunquam hoc fiebat in principiis legum ipsius archontis nomine commemorato, cf. Inscr. I (p.) 143. 149. 151. 152. 154. 155. 163. 170. 132. 142«. [cf. prol. ed. Weidn. p. VIII]. Nihilominus ipse Weidner pro »Graecis« melius »Atheniensibus« scripsisset, cum »*Graeci*« *asiatici* re uera etiam in praescriptionibus illud μηνὸς ipsi nomini mensium adiicerent: C. I. Gr. II, 2673 b — 2677 (Ias); 2943 (Nys.); 3052 (Te.); 3521 (Nac.); 3562 (Perg); 2554 (Cret.).

Quod ad significationem prytaniae attinet, in decretis senatus populique Atheniensium genetiuum absolutum φυλῆς πρυτανευούσης, quo auctor psephismatum in orationem de corona insertorum, ubiubi tribus memorantur, utitur (in §§ 29, 84, 105, 118, 164, 181), nusquam obseruaui. Itaque non satis apte Franz: el. ep. p. 146 annotauisse mihi uidetur: »dicitur autem utrumque, et δευτέρας πρυτανείας et δευτέρας πρυτανευούσης«. Sane haec uerba in »tabulas magistratuum«, quae dicuntur, quadrant (C. I. Gr. I. nn. 144. 147 sq. Boeckh: Staatsh. II, pp. 5. 6. 10. 11. 12. 16. 18. 19. 23) non autem in praescriptis solemnibus utraque structura, id quod Franz: ib. p. 320 not. 4 contendit, suo loco est (cf. p. 8. not. 1). Dicat quispiam: quid? nonne in C. I. Gr. I. nn. 90 et 91 constructionem φυλῆς πρυτανευούσης in praescriptionibus decretorum exhibent? Cui respondere licet, Boeckhium suo arbitrio utrumque locum restituisse. In hoc enim titulo hae literae traduntur: *ΤΑΟΥΣΝΕΟΙ* antecedente et sequente lacuna, quam Boeckh non minus falso expleuisse mihi uidetur, quam n. 90, ubi solae literae: *ΠΡΥΤΑΝΕ* exstant. Mea quidem sententia hic certe πρυτανείας pro πρυτανευούσης legendum erit, illic lectio non satis constat, cum textum, quod uocatur, tantopere mutilatum sit, ut intelligi non possit, quae uerba principio in lapide incisa fuerint. Itaque Westermann (Untersuchungen etc.: Abh. der philol. hist.

Kl. der Kgl. sächs. Ges. d. Wissensch. uol. I, p. 24) auctorem Boeckhium sequens non iure loquitur de additamento πρυτανευούσης uel πρυτανείας, utpote cum in ueris et certis titulis senatus populique Atheniensis haec formula Demosthenea aetate constans fuerit: ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίδος (uel simil.) ἑνδεκάτης (uel simil.) πρυτανείας. Quodsi ea, quae § 75 affixa sunt, eadem ualent ac praescriptiones, etiam hoc loco nominatiuus πρυτανεία φυλῆς Ἱπποθοωντίδος minime probandus erit (cf. Droysen I. p. 805). Sed cum de tribu Hippothontide agatur, paucis uerbis attingam, monumenta lapidea nullam nisi hanc scripturam praebere: *ΙΠΠΟΘΟΝΤΙΣ*, littera »o« semel posita, e. gr. Kirchhoff: I. A. I. nn. 45. 46. Franz: el. ep. n. 67. C. I. Gr. I, 147 pryt. VIII; nn. 169 l. 53; 171 l. 20; 172; 232; 275 etc., lectionem Ἱπποθοωντίς, litera »o« duplicata, posterioris temporis esse (Boeckh: Staatsh. II, p. 18).

Intercedit deinde haud paruum discrimen inter genus scribendi decretorum, quae in oratione de corona reperiuntur, et consuetudinem forensem Atheniensium eo, quod pro uerbis ἔδοξε τῇ βουλῇ (καὶ τῷ δήμῳ), quibus Athenis senatusconsultum (et plebiscitum) designabatur, in singulis paragraphis mirae quaedam formulae leguntur (cf. p. 9). Dico enim: βουλῆς γνώμη (§§ 37 [1]), 75, 116), γνώμη βουλῆς καὶ δήμου (§ 115), βουλῆς καὶ στρατηγῶν γνώμη (§ 164), πολεμάρχου γνώμη (§. 165). Contemplantes hos locos dubitare possumus, quae uis uerbo γνώμη insit. Cuius propria notio cum sententia sit, sine dubio γνώμη στρατηγῶν, πολεμάρχου sententiam i. e. rogationem ducum, polemarchi, γνώμη βουλῆς sententiam senatus i. e. senatus consultum uel προβούλευμα, quod uocatur, significant (cf. Voemel: progr. 1841, p. 13). Sed

1) Secutus sum auctorem Voemelium, qui post uerbum πρυτάνεων interpungens uerba συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν καὶ πρυτάνεων arctius inter se coniunxit, cum Westermanni lectio: σ. ἐκκλ. ὑπὸ στρ. καὶ πρυτάνεων καὶ βουλῆς γνώμῃ legibus Atheniensium prorsus aduersetur. Ceterum censeo, si Voemelii lectio respicitur, uoculam καὶ ante βουλῆς γνώμῃ esse delendam (cf. Schoemann: de comitiis etc. p. 61 not. 15).

quid uerba *γνώμῃ βουλῆς καὶ δήμου* sibi uelint? Num Franz: el. ep. p. 320 (Schoemann de com. p. 100) recte rem explicauit, cum hanc formulam senatusconsulto a populo comprobato adscriptam esse arbitraretur? Num re uera illis uerbis idem fere designatur ac formula: *ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*? Cur in praescriptionibus aliorum populiscitorum, in §§ 116, 164, 165, praetermissis uerbis *καὶ δήμου* sola uerba *γνώμῃ βουλῆς* etc. exstant? Equidem igitur Franzii sententiam non probem, quamquam uerba *ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* (in § 115) non multo post sequentia eam confirmare uidentur. Uerba autem *ἔδοξε τ. β. κ. τ. δ.* non idem declarare ac *γνώμῃ βουλῆς καὶ δήμου* ex C. I. Gr. II n. 3137 I et III (Smyrn.) consequi uidetur, ubi uerba *ἔδοξεν τῷ δήμῳ* iuxta uerba *γνώμῃ στρατηγῶν* ponuntur. Quid igitur de formula *γνώμῃ βουλῆς καὶ δήμου* dicemus? Nihil profecto, nisi eam non satis accurate esse traditam. Quare Voemel in progr. 1843, p. 14—15 aliis sane causis motus librarium errauisse uerbaque *καὶ δήμου* delenda esse existimat. Quod si accipimus difficultas euanescere et formulae, de quibus quaestio est, uertendae mihi uidentur esse: auf Gutachten des Rathes, — auf Gutachten (Antrag) der Strategen, — des Polemarchen. Restat tamen alia dubitatio iam supra indicata. Cognouimus enim, quomodo illae locutiones explicandae sint, non cognouimus, quibus causis ductus auctor decretorum eas ipsas, quippe quae Athenis minime in usu essent, scripserit. Inquirentes igitur, ubinam talia usitata erant, inueniemus, in psephismatis *in Asia minore insulisque prope sitis* repertis saepissime ea exstare. Itaque suspicari licet, auctorem ex Graecis asiaticis oriundum morem domesticum secutum esse Atheniensium consuetudinem neglegentem. Quam ad sententiam confirmandam in testimonium uoco C. I. Gr. II, 2264 (Amorg.); 2329, 2335 (Ten.); 2483 (Astyp.), 2484, 2485 III (ib.); 2767 (Aphrod.); 2671 (Ias.); 3069 (Te.); 3137 I et III (Smyrn.); 2656 (Halic.); 2677 b (Ias.); 2674 (ib.). Add. et corr. 2264 b (Amorg.); 2347 l (Syr.); 2349 b (And.); 2477 (Anaph.) etc. (cf. Franz: el. ep. p. 325. 4). Quae exempla cum omnia fere non datiuum *γνώμῃ*, sed

nominatiuum γνώμη exhibeant, etiam in decretis orationis de corona nominatiuus, quem iam Taylorus et Bremius in § 75 maluerunt, praeferendus mihi uidetur esse, praesertim cum optimus codex Σ in § 116 re uera hanc formam tradat (cf. quae Boeckh ad C. I. Gr. II n. 2264 exposuit; opusc. IV. p. 275 ann. 5; p. 338, ann. 2. Voemel: ad § 75, ann. 7; ad § 116, ann. 3).

Finis decretorum more attico efficitur significatione rogatoris: ὁ .... εἶπεν. Quae consuetudo quamquam in plerisque quidem psephismatis obseruatur, tamen neglegitur in §§ 75. 84. 116. Nam primum cum sermone forensi Atheniensium nomen legis latoris in § 75 post ipsum decretum collocatum non congruit. Neque minus inepte eidem nomini significatio officii, quo rogator functus est (πρόεδρος), additur. Quicunque enim Athenis rogationem ad populum tulit, ciuis habitus ciuisque nominibus, i. e. nomine patris et demotico, appellatus est, neque unquam, quantum scio, »uox πρόεδρος (uel simil.) ideo apposita est, quod idem uir alterum decretum scripsit, cum proëdrus non esset« (Boehnecke: Forschungen etc. p. 483. cf. Voemel ad h. l.). Deinde in § 84 (et 38?) nomen legis latoris in fine praescriptionum positum moleste ipsi decreto iterum adiungitur, quod num neglegentia librarii factum sit (Voemel in progr. 1843, p. 6) dubium uidetur esse, cum omnes codices uerba illa repetant. Tum haereo in collocatione uerbi εἶπεν, quod in § 116 nomini rogatoris (Καλλίας, Φρεάῤῥιος) antecedit, cum in nullo genuino decreto illa uerba alia ratione collocentur nisi hac: ὁ .... εἶπεν (cf. Franz p. 320. C. I. Gr. I, nn. 96, 105, 108, 111, 113, 124 etc.).

Omnia, quae hactenus tractaui, talibus decretis praescripta erant, quae contione legitima populi habita componerentur. Contiones autem Atheniensium non solum erant ordinariae (ἐκκλησίαι κύριαι uel νόμιμοι), sed etiam extraordinariae (cf. Schoemann: Griech. Alterth., ed. 2, Berl. 1861, I, p. 393 sq.). Ut decretis ex illis profectis haud raro: ἐκκλησία κυρία praescribebatur, ita consentaneum est, in praescriptionibus psephismatum

in his compositorum ἐκκλησία σύγκλητος notari (cf. Schoemann: de com. p. 27 seq. Pauly: Realencyklopädie s. v. ἐκκλησία uol. III, p. 3. Hermann: Lehrbuch der griech. Staatsalt. § 128). Decretorum autem ad contiones extraordinarias pertinentium in oratione de corona duo reperiuntur: § 37 et §§ 73—74, quarum illi uerba: συγκλήτου ἐκκλησίας, his uerba ἐκκλησία σύγκλητος praescripta sunt. Itaque quaeritur, utrum genetiuus absolutus [1]), an nominatiuus sermoni forensi Atheniensium responderit. Equidem, ut hoc iam loco id quod sentio memorem, nominatiuum praeferendum esse arbitror. Nam quamquam non lapideas inscriptiones habemus, quibus haec sententia confirmetur, tamen genetiuus uix probatur, non quod in § 73 cod. Σ ἐκκλησία σύγκλητος exhibet, sed quod formulae ἐκκλησία κυρία (uel simil.) et βουλὴ ἐμ βουλευτηρίῳ (u. p. 7) certam quandam analogiam nominatiui praebent (cf. Spengel: Mus. Rhen. II, p. 390). Ceterum genetiuus συγκλήτου ἐκκλησίας haud dissimilis est genetiui absoluti, qui in C. I. Gr. II, n. 2059 (Olb.) occurrit. Maiori offensioni uerba, quae in §§ 37 et 73 sequuntur, ὑπὸ στρατηγῶν, esse possunt. Etsi enim satis constat, duces belli tempore trepidisque rebus et contionem populi fieri iubere et comitia impedire potuisse, tamen nostra aetate peritissimis antiquitatum graecarum uiris non dubium uidetur esse, quin non solum ordinariae, uerum etiam extraordinariae contiones atque hae quidem auctoribus uel flagitantibus ducibus a solis prytanibus conuocatae sint (Droysen I, p. 800; Schoemann: Griech Alterth. p. 437 uol. I; Rehdantz: Demosthenes philipp. Reden, Lips. 1870, praef. p. 59). Quod si rectum est, uerba: συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν καὶ πρυτάνεων (§ 37) sane non ita multum abhorrent a Thuc. IV, 118, § 14: ἐκκλησίαν δὲ ποιήσαντας τοὺς στρατηγοὺς καὶ τοὺς πρυτάνεις, uerba autem: ἐκκλησία σύγκλητος ὑπὸ στρατηγῶν nullam habent fidem, cum ad nostram memoriam non traditum sit, Demosthenis tempore solos duces prytanibus non adhibitis contiones extraordinarias Atheniensium

1) Ut hic genetiuus genetiuus absolutus sit, effici uidetur ex uerbis: ὑπὸ στρατηγῶν seq. (cf. tamen Voemel ad h. l.).

conuocasse. Concisius igitur auctor: παραγγειλάντων στρατηγῶν (uel simil.) scripsisset.

Antequam de ipsis decretis agam, restat, ut uideamus, quod discrimen in annectendis psephismatis ad praescriptiones intersit inter consuetudinem Demosthenea aetate constantem et rationem, quam auctor decretorum in oratione de corona secutus sit. Illo quidem tempore Atheniensium decreta ita cum praescriptionibus coniungebantur, ut aut protasis ab ἐπειδὴ inciperet, cuius apodosis formulam: δεδόχθαι τῷ δήμῳ, si populiscitum, uel δεδόχθαι τῇ βουλῇ, si senatusconsultum esset (C. I. Gr. I, 108. 115, 124 etc.) praeberet, aut ut statim antecedenti εἶπεν adiiceretur infinitiuus (C. I. Gr. I, nn. 74. 90. 105), aut ut ἐπειδὴ praemissum in apodosi infinitiuus sequeretur (C. I. Gr. I, 93 etc.). Conferentes decreta orationi de corona inserta inueniemus, alia, §§ 37 et 73—74, ab usu Atheniensium non abhorrere, alia recte quidem ad praescripta solemnia annexa esse, delectum autem uerborum non plane cum consuetudine Atheniensium congruere. Huc spectant §§ 29, 84, 116, 118, 164, 165, quarum in aliis (§§ 116, 164, 165) apodosis exhibet uerba: δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, in aliis (§§ 29 [1]), 84, 118 adde § 184) uerba: δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων exstant. Tametsi enim Franz (el. ep. p. 321) et Spengel (Mus. Rhen. II, p. 382) contendunt, formulam: δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ praesertim in decretis honorariis frequentius usurpari, tamen in omnibus, quae intellexi, decretis Atheniensium sola uerba δεδόχθαι τῇ βουλῇ uel δεδόχθαι τῷ δήμῳ legi (C. I. Gr. I, nn. 118. 115. 124. — 113. 105. 107. 112. Pittakis: eph. arch. n. 3453. 1372 (Boehnecke: Demosthenes etc. p. 301 an. 1. p. 255); Rangabé: Ant. Hell. n. 447 (Boehnecke: Dem. etc. p. 212).

1) In hac paragrapho uulgaris lectio est: τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων. Sed cum in ceteris decretis semper rectius τῷ Ἀθηναίων legatur codicesque optimi Σ et Laur S eandem formam praebeant, haec scriptura praeferenda erit, quamquam in decretis uitis X oratorum additis bis ὁ δῆμος τῶν Ἀθηναίων reperitur (decr. I, § 1; II, § 1).

Exemplum autem, quod Franz (l. c.) ex C. I. Gr. I, n. 77 affert, non quadrat in hunc locum, cum titulus ille mutilatus has literas praebeat: *ΔΕΙΚΑΙΤΟΙΔΕΜΟΙ ... ΑΘ.* Quas Boeckhius sane ita restituit: *δεδόχθαι τῇ βου]λῇ καὶ τῷ δήμῳ ... Ἀθηναίων.* Sed multo accuratius Kirchhoff hanc formulam non apodosim esse, protasi ab *ἐπειδὴ* incipiente praemisso, putans in: Inscr. att. uol. I, n. 33 easdem literas sic suppleuit: *ἔδοξε τῇ βου]λῇ καὶ τῷ δήμῳ ... Ἀθ?*, quae uerba non ad ipsum decretum referenda essent, sed in praescriptionibus locum haberent. Atque profecto in praescriptionibus saepenumero formula *ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* (cf. p. 7) reperitur. Illud autem *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* Athenis posterioribus demum temporibus in apodosi decretorum positum est (Franz: el. ep. n. 96. C. I. Gr. I, 353), frequentius occurrit apud externas gentes praesertim *Asiam minorem incolentes* (C. I. Gr. II, n. 2161 (Thas.); 2268 (Del.); 2329 (Ten.); 2335 (ib.); 2347 c (Syr.); 2352, 2354 (Carth.); 2674, 2678 (Ias.); 3053 b, 3595 (Il.); 3596, 3598, 3599 (ib.); 3655 (Cyz.); Add. et corr. 2139 b (Aeg.), 2775 b (Aphrod.); I, n. 1570 (Orop.); Boeckh: Staatshaushalt. II, p. 352). Deinde legentes postremum decretum orationis de corona (§§ 181—185), cuius initium a uerbo *ἐπειδή* fit, apodosis autem anacolutho relatiuo posito sequitur, nonne memores erimus titulorum, qui in *Asia minore* reperiuntur (Franz: el. ep. n. 116 (Byz.); C. I. Gr. II, n. 2061, 2062, 2060 (Olb.); 3524 (Cym.); Add. et corr. 2347 l; 2811 b (Aphrod.); 2139 b (Aeg.)? Multo alia ratione in § 115 decretum e praescriptionibus aptum est uerbis: *εἶπεν ὅτι δοκεῖ* etc. Quem in locum non solum praesens *δοκεῖ* non quadrat, id quod iam Droysen memorauit et ipse Voemel concessit — quare in progr. 1843 p. 15 coniecit, *ἔδοξεν* scribendum esse — sed etiam particula *ὅτι* suo loco non est. Quaerenti enim, quid his uerbis significetur, nihil aliud respondeas, nisi hanc fere uim iis inesse: »Callias Phrearrius narrauit, placere senatui etc.«, aut cum consuetudine Graecorum pro oratione obliqua directa oratio exstet: »Callias Phrearrius: placet, inquit, senatui« etc. Quare

hoc psephisma magis »actorum relationis« (Schoemann: de com. p. 134 ann. 17) quam rogationis speciem prae se fert. Reliquae sunt §§ 75 et 105, quarum neutra uerbo »ψήφισμα«, quod iis superscriptum reperimus, digna est, cum altera nec decretum concilii nec populiscitum, sed id, quod Voemel (progr. 1842, p. 12) Wahlprotokoll, Boehnecke (Forsch. p. 482) *Γράμματα* appellat, complectatur, altera res aliquot gestae referantur, non edictum proponatur (cf. Voemel: progr. 1844 p. 4—5; Droysen I p. 949). Itaque ne quisquam miretur, quod neutra paragraphus formam decretorum, quam expectamus, praebet.

Animos retro uertentibus ad ea, quae hactenus demonstrare conatus sum, non dubium iam fore spero, quin idem, quod Westermann (Untersuchungen etc. act. societ. sax. class. philol. hist. uol. I, 1850, p. 25) de auctore § 27 orationis Demostheneae c. Timocr. dicit, non minus ad eum pertinere, qui decreta orationi de corona interposita conscripsit. Westermann autem haec fere l. c. memorat: »Der Mann wusste es nicht besser ... und diese auffallende Unkenntniss der parlamentarischen Formen dürfte, zumal wenn noch andre Gründe hinzutreten, ebensowohl andrerseits als ein Moment für die Annahme einer später versuchten Nachbildung der Urkunden betrachtet werden können«.

Age uero iam inquiramus, num insertor psephismatum eandem imperitiam sermonis forensis Atheniensium Demosthenea aetate usitati, quam in praescriptionibus prae se tulit, in ipsis decretis componendis ostenderit.

Caput. II.

Ipsa decreta.

Initium faciamus a

§ 29.

Quamquam Boehnecke (Forschungen p. 335) »nihil« inquit »in decretis suppositum inest, sed simulac ueri eponymi restituti sunt, dilabuntur omnes difficultates historicae, immo documenta ipsa historiae illustrandae egregie subueniunt«, tamen in pagg. 402 et 604 concedit, hoc psephisma in tenorem orationis non quadrare. Nam cum ex Aeschinis or. *περὶ παραπρ.* §. 91, ex Demosthenis or. *περὶ παραπρ.* §§ 25 et 154 intellegatur, auctore Demosthene senatum decreuisse, ut altera legatio ad Philippum mitteretur, populiscitum autem pro hoc senatusconsulto exstet, deinde cum non quinque, quos hoc decretum indicat, sed decem legatos delectos esse constet, aliaque accedant, quae dubitationes afferant, Boehnecke (l. c. p. 402), Boeckh (acad. opusc. IV, p. 288); Winiewski (comment. hist. p. 319), Spengel (Mus. Rhen. II, p. 379), Voemel (progr. 1843, p. 9) »mirabili uiri male docti errore« hoc documentum, quod ad alium annum, seu ad Ol. 110, 2, seu ad Ol. 111, 1, pertineret, in Demosthenis de corona orationem migrauisse censuerunt. Quae sententia ut est artificiosa per se ita speciem probabilitatis cum aliis de causis perdit, tum ideo, quod enuntiatum quoddam decreti mirum in modum cum uerbis oratoris consentit. Legentes enim: *ἀποδημεῖν μηδεμίαν ὑπερβολὴν ποιουμένους, ὅπου ἂν ὄντα πυνθάνωνται τὸν Φίλιππον καὶ τοὺς ὅρκους λαβεῖν τε παρ᾽ αὐτοῦ καὶ δοῦναι τὴν ταχίστην κτέ.* nonne inueniemus, haec uerba perspicuam similitudinem habere eorum, quae ipse Demosthenes in § 25: *ἀποπλεῖν τὴν ταχίστην τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πυνθάνωνται*

καὶ τοὺς ὅρκους ἀπολαμβάνειν et in § 27: *πλεῖν ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν ᾖ Φίλιππος, καὶ τοὺς ὅρκους τὴν ταχίστην ἀπολαμβάνειν* enuntiauerat? Nonne Demosthenes dicit, sese utrumque locum ex decreto, quod ipse rogauerat, petiuisse? Quod cum ita sit, cum uerba illa sine dubio in ipsa rogatione Demosthenis locum habuerint eademque fere paruas quidem sed proprias digressiones praebentia in psephismate, de quo agitur, exstent, quis est, qui credat, easdem elocutiones etiam in altero decreto multis annis post exarato, id quod Boeckh, Voemel, Boehnecke uolunt, fuisse? Immo multo uerisimilius uidetur esse, uirum quendam grammaticum uel rhetorem uerba illa Demosthenis ad decretum, quod traditum non erat, componendum adhibuisse, quibus speciem ueritatis fideique efficeret (cf. Droysen I, p. 911). Quae sententia eo fulcitur, quod Demosthenea illa enuntiata ab insertore non satis intellecta atque male commutata sunt. Nam primum offendit uerbum:

ἀποδημεῖν, cui Athenienses Demosthenis aetate non uim proficiscendi, quae hoc loco sine dubio uerbo inest, attribuerunt, sed significationem »absentem esse« assignauerunt, quae notio satis patet ex Dem. *περὶ παρ.* § 57. Aeschin. c. Ctes. § 68 Dem. c. Polycl. § 9. Arist. nub. 371. Xen. Cyr. VII, 5, 69, anab. VII, 8, 4. Plato Crit. 53 A, Phaed. 61 D. cf. Herod. I, 29, IX, 117. Pindar: P. X, 37. Quare in uero decreto pro *ἀποδημεῖν* utique aliud uerbum seu *ἀποπλεῖν* uel *πλεῖν* (Dem. de cor. §§ 25. 27. *περὶ παρ.* §§ 150. 164. 181) seu *ἀπιέναι* (Dem. *περὶ παρ.* § 154. Aesch. *περὶ παρ.* § 91) seu *ἀπελθεῖν πλῷ* (*ὑπόθεσις β′* or. Dem. *περὶ παρ.* § 7) positum fuit (cf. Spengel: Mus. Rhen. II, p. 386. Bakius ad Apsin. p. 179). Praeterea cum Demosthenes et in § 25 et in § 27 argumentum decreti referens uerbis *ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν κτέ.* utatur, coniiciendum est, ea ipsa locum obtinuisse in decreto pro *ὅπου ἂν ὄντα κτέ.*, quae uerba in § 29 leguntur. Accedit, quod ea, quae sequuntur ... *καὶ δοῦναι*, omnino superuacanea sunt tenoremque decreti turbant, quippe cum pax ab Atheniensibus iure iurando firmata esset, ita ut legatis nullum mandatum dari

posset, nisi ut Philippum ad iusiurandum adigerent (cf. § 187 p. 56). Quocirca Demosthenes in §§ 27 et 25 concinna uerba ὅρκους — ἀπολαμβάνειν usurpauerat (cf. Spengel: Mus. Rhen. II, p. 384). Denique locutio: μηδεμίαν ὑπερβολὴν ποιουμένους i. e. nulla mora interposita, scholam redolere mihi uidetur, non solum cum uerbum ὑπερβολή hoc sensu perraro reperiatur (Herod. VIII, 112, Polyb. XIV, 9, 8 cf. Voemel, qui in progr. 1843, p. 10 Etym. M. p. 778, 36 Photiumque s. v. in testimonium uocat), uerum etiam propter fusius dicendi genus, quod accuratae orationi forensi Atheniensium Demosthenis quidem tempore non respondet. Tum enim, ubi celeritas actionis significata est, aut αὐτίκα uel αὐτίκα μάλα (Kirchhoff: I. A. I, nn. 40. 55b, 59. Rangabé: A. H. nn. 250. 385. 398. 443. 485. Boeckh: Staatsh. II, p. 748. Thuc. IV, 118, 14), aut τὴν ταχίστην (Boekh: Staatsh. III, p. 462. Dem. de cor. §§ 25 et 27) uel τάχιστα (Rangabé: A. H. n. 398), aut εὐθέως (C. I. Gr. I, n. 356) scribebatur. Sed quoniam de uerbis, quibus celeritas exprimitur, agitur, non supersedeam, quae paulo ante in decreto leguntur: ἑλέσθαι .... ἤδη πέντε i. e. »iam statim, quam celerrime, legatos eligere«. Nam etsi uocula ἤδη cum infinitiuo coniuncta saepenumero notionem »quam celerrime« in se continet (e. gr. Xen. an. VII, 7, 24), tamen inscriptiones atticae hanc uocem hoc sensu non magis exhibent quam illud μηδεμίαν ὑπερβολὴν ποιουμένους. In decretis tantum aliarum gentium graecarum particula ἤδη eadem ratione ex infinitiuo apta est: C. I. Gr. II nn. 2155 (Myr. Lemn.); 2270 (Del.) (cf. Diog. Laert. VII, 11.) (Newton: The coll. of anc. Gr. inscr. in the British Mus. n. 22).

Porro nescio an non longius progressurus sim, uerba πρέσβεις ἑλέσθαι ἐκ πάντων Ἀθηναίων non plane sermoni forensi Atheniensium respondere suspicans, non quo negem, legatos more Atheniensium aut singulos ex singulis tribubus (κατὰ φυλάς) aut ex omnibus Atheniensibus delectos esse, — immo hoc bene cum institutis atticis consentit, sed quia in Atheniensium quidem decretis, ubi ex omnibus ciuibus legati electi sunt, pro formula ἐκ πάντων Ἀθηναίων locutio: ἐξ

Ἀθηναίων ἁπάντων obuia est: Franz: el. ep. n. 69. C. I. Gr. I, n. 107; Rangabé: Ant. Hell. II, n. 814; Pittakis: eph. arch. n. 1064; Ussing: Inscriptiones Graecae ineditae, Havniae 1847, n. 54 (cf. Boehnecke: Demosthenes etc. p. 312); Demosth. c. Timocr. § 23; Boeckh: Staatsh. d. Ath. III, p. 466. Dem. c. Mid. § 115; Rangabé: A. H. n. 443. Poll. VIII, 94. Ceteroquin haud dissimilia formulae *ἐκ πάντων Ἀθηναίων* sunt uerba *ἐκ πάντων Ἰλιέων* in C. I. Gr. II, n. 3595 l. 43 et 44 et: *ἐκ πάντων πολιτῶν* ib. n. 1837 (Phar; Add. et corr. p. 985).

Denique uerba *πρὸς τὸν Ἀθηναίων δῆμον*, quae in rogatione quoque Demosthenis, in §§ 181. 185. 186. 187, exstant, non sine dubitatione mihi uidentur esse, utpote quae in inscriptionibus atticis uix reperiantur. Ex quo efficitur, ut a sermone iudiciali Atheniensium, cui uerba: *ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων* uel *οἱ Ἀθηναῖοι* respondent, discrimen illud, quod Krüger: Griech. Sprachl. für Schulen, Berl. 1845 § 50, 8 an. 11 accipit, alienum fuerit.

Sequuntur

§§ 37 et 38,

quae iterum ex Boehneckii (Forschungen p. 618) et Boeckhii (ac. opusc. IV, p. 276) sententia »mirabili insertoris errore« orationi de corona interposita sunt. Primum cum Newmanno (class. Mus. I, 167) haero in uerbis: *μηδεμιᾷ παρευρέσει* i. e. nulla de causa. Uox enim *παρεύρεσις* tam raro apud bonos scriptores legitur, ut persuadere mihi nequeam, eam a legum scriptoribus Demostheneae aetatis praelatam esse uerbo *πρόφασις*, quod multo usitatius erat (Dem. Phil. I, § 47; c. Polycl. § 9; de cor. § 158; c. Leptin. § 149. Thuk. I, 23, 6; 118, 1; 133, 1; 141, 1. II, 49, 2; III, 13, 1; 86, 4; 9, 2; VI, 6, 1. Xen. anab. I, 1, 7; 2, 1; II, 3, 21; VII, 6, 22. Plato Men. 245 B. Xen. Cyr. II, 2, 15; 1, 25; 4, 17. Herod. I, 29; II, 161; IV, 135; 145; VI, 86; VII, 150; 230; VIII, 3. Arist. vesp. 468 uid. Frohberger ad Lys. XIV, 1). Ceteroquin cum illo *μηδεμιᾷ παρευρέσει* conspirat C. I. Gr. II, n. 1845, l. 109 (Corcyr.), II, 3059.

Neque extra omnem dubitationem ponitur, quid uerba: *περὶ δέ τοῦ ἀδυνάτου ἐπικρινέτω ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων στρατηγὸς καὶ ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως καὶ ὁ γραμματεὺς τῆς βουλῆς* sonent. Atque ut breuiter tantummodo attingam locutionem *περὶ δὲ τοῦ ἀδυνάτου*, quae magis ab externis gentibus frequentata uidetur esse (cf. C. I. Gr. II, 1845, p. 24 l. 71), quam ab Atheniensibus, quaeritur, quam notionem induat uerbum *ἐπικρινέτω*. Quod ad uocabulum non crebro exstans explicandum Droysen (I. p. 921) duplicem rationem esse respiciendam opinatur. Aut enim coniici posse, testibus adhibitis Plat. leg. VI, p. 768, Dion. Halic. XI, 52. Plut. Lyc. 6, penes tres illos uiros summum *περὶ ἀδυνάτου* iudicium fuisse eorumque ex arbitrio animaduersionem reorum pependisse, id quod apud Athenienses nouum atque inauditum fuerit. Aut in hoc uerbo non uim diiudicandi sed quaestionem habendi latere. Cuius interpretationis rationem habentibus mirum uideri potest, quod illi potissimum uiri, quos supra memoraui, iudices nuncupati sint. Quarum explicationum Boehnecke (Forschungen p. 616, n. 2) illam non tam respuit, quam iudicio tali militari instituto etsi »instante grauissima patriae discrimine excusetur« tamen »nonnisi interim cognitionem demandatam fuisse uideri, utrum, si quis *ἀδύνατόν τι* causaretur, id re uera adesset necne« arbitratur. Minus dubitans Voemel (progr. 1843 p. 10—11) a collegio illo causa idonea non intercedente, rem ad dicasterium, quod uocatur, esse delatam, abs quo reus aut damnari aut absolui potuerit, contendit. Nec tamen res hac explanatione luculenter intellegitur. Nam si quidem in uerbo *ἐπικρίνειν* uis quaestionem habendi continetur, non uideo, cur, quippe cum ex Voemelii sententia iudicium heliasticum re accuratius inquisita diiudicauerit, non thesmothetae, qui dicuntur, causam cognouerint. Praeterea cur uerbum proprium *ἀνακρίνειν* non legitur? Quare praesertim cum iam multa inuenerimus, quibus docti sumus, auctorem decretorum res Atheniensium non satis perspexisse, non dubito, quin errorem quendam commiserit, quin iudicium illud militare, abs quo reus aut necessitate demonstrata culpa liberatus aut facultate

ἀδύνατόν τι causari non data non ad iudicium heliasticum uocatus, sed ab eodem collegio capitis damnatus sit (*ἔνοχος ἔστω τοῖς τῆς προδοσίας ἐπιτιμίοις, ἐὰν μή τι ἀδύνατον ἐπιδεικνύῃ περὶ ἑαυτόν*), institutis Atheniensium aduersetur neque »grauissimo quidem patriae discrimine excusetur«. Quam sententiam et usus uocis *ἐπικρίνειν* apud Athenienses et ipsa uerba decreti stabilire uidentur.

Uenimus iam ad tres illos uiros, quorum primo loco *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων στρατηγὸς* memoratur. Eidem duci in § 115 significatio *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων* (sc. *στρατηγός*), in § 116 *ὁ ἐπὶ τῶν ὁπλιτῶν* (sc. *στρ.*), in § 184 *ὁ στρατηγός* (sc. *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων*, cum *ὁ ἵππαρχος* ei opponatur) imponitur. Sed profecto nec in inscriptionibus lapideis nec in libris oratorum scriptorumque Demostheni aequalium, nisi exceperis Lys. c. Diog. § 5 (*τοῦ ἐπὶ τῶν ὁπλιτῶν*), dux hoplitarum hac ratione appellatur, sed, quamquam negari non potest, illo iam tempore interdum unum tantum ducem ad bellum missum esse (Dem. Phil. I, § 26), tamen ubique quantum scio simpliciter *στρατηγὸς* dicitur. Unde sequi mihi uidetur, ut tum huic magistratui significatio: *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων* (uel simil.) Athenis quidem publice non attributa sit. Attamen seriore aetate cum auctoritas ducum magis magisque augeretur eoque perueniret, ut duces omnium fere magistratuum summi fierent, appellatio quoque eorum mutata est (cf. Hermann: Lehrb. d. griech. Staatsa. § 176 (n. 14). Pauly: Realenc. VI, 2, p. 1456). Uerum ne tum quidem illud *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων*, si quidem lapidibus fidem habemus, in decretis Atheniensium reperitur, sed praepositione *ἐπὶ* cum accusatiuo posita aut *στρατηγὸς* (*στρατηγῶν*) *ὁ ἐπὶ τὰ ὅπλα* aut *στρ. ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας* legitur, ut in C. I. Gr. I, 123, 186, 189, 190—192, 200, 320, 353, 396, 477, 478, 480, Franz: el. ep. n. 98, 105. Eo saepius eaedem quae in decretis in oratione de corona exstantibus obuiae sunt significationes cum apud scriptores aetate satis posteriores (Athen. Deipn. V, p. 213 E; Philostr. uit. soph. I, 23, p. 526; II, 20 p. 601 etc.) tum apud exteras gentes occurrunt, cf. C. I. Gr. II, 3150: *ὁ ἐπὶ τῶν*

ὅπλων (sc. στρατηγός) (Smyrn.), 3162: στρ. ἐπὶ τῶν ὅπλων (ib.); 3201 (ib.); 3429, 3596: ὁ στρατηγός (Il.).

Alter socius collegii et in § 38 et in § 115 ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως appellatur. Uerumtamen hunc quoque magistratum in titulis Atheniensium aliter nuncupatum inuenio. Praepositione enim ἐπὶ c. dat. coniuncta offendo appellationem: ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει (Götting. Gelehrt. Anz. 1836, 53, l. 37 cf. Droysen p. 549) uel cum ex Boeckhii annotatione ad C. I. Gr. I, p. 147 »olim unus fuerit: ὁ ἐπὶ τῇ δ., nunc (imperatorum aetate) plures sint«: οἱ ἐπὶ τῇ διοικήσει: uid. C. I. Gr. I, 107, 113, Rangabé: A. H. II, n. 447, p. 132; Ephem. ep. n. 41 (cf. Boehnecke: Demosthenes etc. p. 212. Pauly: Realenc. VI, 2, p. 1587 s. u. ταμίαι). Sane in Diog. Laert. uit. Zen. VII, 11 et in Poll. on. VIII, 113 idem magistratus non aliter designatur atque in §§ 38 et 115 (ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως); uerumtamen neutri, cum uix credi possit, eos genuinis decretis usos fuisse, nimia auctoritas attribuenda erit (cf. A. Philippi: Der Areopag etc. p. 140 ann. 43; 101; 112; 164 ann). Quae cum ita sint, ex testimonio horum uirorum nihil fere concludendum est, nisi eum, qui in §§ 38 et 115 scripsit: ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως, morem posteriorum scriptorum secutum esse.

Quaerentibus autem, quo munere ille magistratus functus sit, respondere licet, sine dubio eundem esse intellegendum, qui non solum rei militari administrandae praefectus fuit, sed etiam omnia uectigalia et impensas rei publicae Atheniensium administrauit, quem hodie Generalfinanzdirektor uocamus. Quae sententia si recta est, quis unquam audiuerit, talem uirum una cum duce hoplitarum et cum scriba senatus quaestionem fecisse et diiudicasse de morte ciuis Atheniensis? Quam difficultatem sentiens Boeckh (Staatsh. I, p. 248 an. e) ex antecedentibus uerbis ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων ad uoces ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως appellationem στρατηγὸς mente esse addendam arbitratur. Atque primo quidem obtutu hoc probabilius uidetur esse Voemelii opinione, qui (in progr. 1843 p. 11) dubitationem omnem euanescere iudicat, cum τὸν ἐπὶ τῆς διοικήσεως (sc. ταμίαν) collegii illius, quod delectum militum habuerit, socium fuisse

uerisimile sit. Sed quoniam omnes fere nostrae memoriae uiri docti summum magistratum aerario praefectum intellegunt (cf. Pauly: Realenc. III, p. 190. Voemel l. c.), ego quoque *ταμίαν* mente subiicio, cum Boeckhio autem non satis percipio, quid omnium rerum pecuniariarum Atheniensium administrator in collegio, de quo sermo est, sibi uoluerit.

Denique num *ὁ γραμματεὺς τῆς βουλῆς*, qui tertius collegii socius indicatur, re uera dignus fuerit, qui huius iudicii particeps esset, in medio relinquam, cum quaecunque de eo statuta sunt, coniecturae sint. Confirmatur tantum multis inscriptionibus, scribis senatus id negotii esse datum, ut decreta a quadratariis incidenda curarent (cf. Boeckh: Staatsh. I, p. 256—258. Kirchhoff: I. A. I, nn. 20. 21, 36. 41. 44. 45. 48. 59. Franz: el. ep. n. 59. C. I. Gr. I, 84. 87. 90. 92; ephem. arch. nn. 401. 371. 3341. 3342. 3453 cf. Boehnecke: Demosthenes etc. p. 259).

Post hoc collegium trium uirorum, quod, utcunque res se habent, Demosthenis aetate utique non iudicium de uita ciuis faciendo institutum est, leguntur uerba: *κατακομίζειν δὲ καὶ τὰ ἐκ τῶν ἀγρῶν πάντα τὴν ταχίστην, τὰ μὲν ἐντὸς σταδίων ἑκατὸν εἴκοσι εἰς ἄστυ καὶ Πειραιᾶ, τὰ δὲ ἐκτὸς σταδίων* etc. Quae non prorsus consentiunt cum duobus ad eandem Callisthenis rogationem pertinentibus locis, qui in Dem. or. de fals. leg. §§ 86 et 125 reperiuntur. Desiderantur enim, ut silentio praetereeam uerba *τὰ ἐκ τῶν ἀγρῶν πάντα* generaliter dicta pro: *παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν*, quae utroque loco Demostheneo exstant (cf. Thuk. II, 14 § 1), sacra Herculis, quae sine dubio in decreto memorata sunt, cum a Demosthene locis supra allatis expressis uerbis: *καὶ τὰ Ἡράκλεια ἐν ἄστει θύειν* nominentur (cf. Ulpian p. 365 ed. Franc. praeterea Droysen I p. 922).

Postremo si exceperis hoc Callisthenis decretum solus, quantum scio, auctor Scylax, quem Boehnecke (Forsch. p. 617, ann. 3) in testimonium uocat, oppida Eleusim et Rhamnuntem loca munita fuisse tradit. Praeterea minime constat, num etiam Demostheneo tempore Aphidnae castellum fuerint.

Cum mihi propositum sit, nonnisi de atticis decretis quaerere, epistula Philippi (§ 39) praetermissa dicendum mihi est de Aeschinis accusatione in Ctesiphontem (§ 54—55). Sed quoniam res ipsa consensum quendam huius libelli et rogationis Ctesiphonteae de coronando Demosthene postulat, necesse erit, decretum quoque Ctesiphontis (§ 118) quadam ex parte hoc iam loco consideremus, nec tamen hoc solum, uerum etiam ex Demosthenis dictis in or. de cor. §§ 83 et 223 exstantibus uideamus, num re uera singula uerba et syllabae etiam rogationis Aristonici (§ 84) quantum ad coronationem in Dionysiis pertinent (cf. Westermann, in edit. de cor. ann. ad § 83 et 223), summam illam similitudinem praebeant, quam Demosthenes utroque loco indicat. Priusquam igitur accuratius ipsa decreta, de quibus res est, tractem, comparandae mihi uidentur esse formulae, quae in uno quoque ad coronationem significandam adhibentur, simulque statuendum erit, quantopere congruant cum iis, quae in decretis honorariis Atheniensium inueniuntur.

Formulae, de quibus agitur, hae sunt:

§ 54.	§ 84.	§ 118.
στεφανῶσαι Δημοσθένην Δημοσθένους Παιανιέα χρυσῷ στεφάνῳ καὶ ἀναγορεῦσαι ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τοῖς μεγάλοις τραγῳδοῖς καινοῖς.	ἐπαινέσαι Δ. Δ. Π. καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ, τραγῳδοῖς καινοῖς τῆς δὲ ἀναγορεύσεως ἐπιμεληθῆναι τὴν πρυτανεύουσαν φυλὴν καὶ τὸν ἀγωνοθέτην.	ἐπαινέσαι Δ. Δ. Π ..... καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ καὶ ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τραγῳδοῖς καινοῖς τῆς δὲ ἀναγορεύσεως ἐπιμεληθῆναι τὸν ἀγωνοθέτην.

Quamquam Voemel (in progr. 1841, p. 5 et 6) inter § 54 et 118 non ita magnum discrimen intercedere arbitratur, tamen diuersitates quaedam negari non possunt. Primum enim in § 54 uerbum ἐπαινέσαι ante στεφανῶσαι, quod in §§ 84 et 118 reperimus, desideratur. Atque id non solum absonum est

a Demosthenis expressis uerbis, quae non multo post sequuntur (in § 57): *καὶ ἐπαινεῖν ἐπὶ τούτοις*, sed etiam abhorret ab inscriptionibus lapideis Atheniensium, in quibus, si ad uiros optime de republica meritos attinerent, solida coronandi formula haec erat: *ἐπαινέσαι — καὶ στεφανῶσαι*. Obiiciat mihi aliquis C. I. Gr. I, n. 102, cui idem *ἐπαινέσαι* deest. Quem locum hocce modo explico. Cum hic solum *στεφανῶσαι*, in C. I. Gr. I. nn. 90. 105. 115, Kirchhoff: I. A. n. 45 de praeconibus scribis aliisque magistratibus collaudandis *ἐπαινέσαι* tantum legatur, in C. I. Gr. I nn. 85. 98 II, III. 101. 107. 108. 109. [112. 113]. 120. 214. Kirchhoff: I. A. n. 59 etc. *ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι* obuium sit, gradus quidam honoris uidentur adfuisse, ita ut insignes uiri pro meritis aut coronarentur (*στεφανῶσαι*) aut collaudarentur (*ἐπαινέσαι*) aut et coronarentur et collaudarentur (*ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι*). Simul merita eius, qui corona et collaudatione dignus putatus erat, in theatro pronuntiabantur (*ἀνειπεῖν κτέ.* uid. p. 32—33). Quae cum ita sint, cum notum sit, Ctesiphontem rogasse, ut hoc summo honore Demosthenes afficeretur, nemo iam neget, in uero libello Aeschinis uerba *ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι* fuisse, quin etiam, quoniam in nullo Atheniensium decreto praemissum solum uerbum *στεφανῶσαι* unquam *ἀνειπεῖν κτέ.* sequitur, non solum in § 54, uerum etiam in §§ 115 et 116 aliquid inesse, quod ab Atheniensium usu deflectat. Id autem ipsum cum more *Graecorum Asiam minorem incolentium* bene consentit, quod exempla in C. I. Gr. II 2061 (Olb.). 2059 (ib.). 2357 (Barth.). Add. et corr. 2263 c (Amorg.) etc. docent.

Deinde, ne *τὸν στέφανον* in § 118 post *ἀναγορεῦσαι* positum in § 54 omissum et uerba *τοῖς μεγάλοις*, quae auctor in § 54 post uocem *Διονυσίοις* scripsit, in § 118 supersedit, memorem, maioris momenti est, quod in § 118 agonothetae et praesidenti tribui cura renuntiandae coronae demandatur. Num haec ad uerbum inter se consentiunt? Adde, quod quaeritur, cur omnino utroque loco *ἀγωνοθέτης* dicitur neque potius *ἄρχων*, cum *ἄρχων ἐπώνυμος* arbiter Bacchanalium

magnorum fuerit. Neque satis intellegitur, quid in § 84 uerbosa locutio *ἡ πρυτανεύουσα φυλὴ* sibi uelit, utpote quae idem ualeat ac *πρυτάνεις*, quod uerbum in § 116 obuium est. Praeterea circumspiciens inscriptiones atticas neque ad agonothetam neque ad prytanes neque ad utrumque curam *ἀναγορεύσεως* et *ποιήσεως τοῦ στεφάνου* delatam inuenio, sed, quamquam Voemel (in progr. 1843 p. 7) contendit, in aliis Atheniensium decretis alios magistratus coronae pronuntiandae destinatos esse, hoc negotium in eos confertur, qui aerario praesunt (*οἱ ἐπὶ τῇ διοικήσει*: C. I. Gr. I, 107. 112. 113. Rangabé: A. H. n. 447. 491. 519. 542. 564. Boehnecke: Demosthenes etc. p. 212). In decretis autem *coloniarum graecarum in Asia minore* conditarum et *ἀγωνοθέτης* (C. I. Gr. II, 2671. 2961 b. 3067. 3068 (Te.) et *πρυτάνεις* (C. I. Gr. II, 2347 c. (Syr.). 3655. Add. et corr. II, 2264 l. 2374 c. (Par.) et plures magistratus (C. I. Gr. II, 3598: *οἱ πρυτάνεις* (?) *καὶ ὁ ἀγωνοθέτης*, 3595: *ἀγωνοθέτης καὶ οἱ στρατηγοὶ* (Il.) etc.) coronam pronuntiandam curant.

Denique in § 84 desideratur *Διονυσίοις*, id quod in decretis Demosthenis quidem tempore Athenis exaratis non omittitur et, cum singuli codices id praebeant, forsitan librarii neglegentia exciderit.

Quoniam uidimus, ne has quidem formulas eum consensum indicare, quem ex Demosthenis uerbis exspectamus, nihil iam restat, nisi ut accuratius inquiramus, num singulae earum inter se congruentes partes eodem modo ab Atheniensibus in decretis honorariis componendis usurpatae sint. Animos igitur conuertentes ad uerba *στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ* contentionemque titulorum atticorum facientes cognoscemus, Demosthenea aetate his uerbis quanti pretii corona futura esset ita fere adiectum esse: *στ. χρ. στ. ἀπὸ πεντακοσίων* (sc. *δραχμῶν ἀργυρίου*): C. I. Gr. I, 98 II, III; 112; Boeckh: Staatsh. III, p. 467. 463. 464. Quae consuetudo non solum in §§ 54. 84. 118, uerum etiam in §§ 115 et 116 neglecta est, cum in sola § 92, h. e. in decreto Chersonnesitarum *χρ. στ. ἀπὸ ταλάντων ἑξήκοντα* rectius dicatur. Voemel autem, qui (in progr. 1843 p. 7)

contendit, pondus et pretium coronae non semper in atticis decretis esse notata, non suo iure ad sententiam stabiliendam mihi uidetur testes afferre C. I. Gr. I, n. 108 et ind. lectt. Berol. 1842 (Boeckh), quorum illud decretum Salaminiorum sit, hic Carystorum titulum exhibeat. Sin usu aliarum gentium Atheniensium consuetudinem metiri uolumus, saepissime uidelicet sola uerba χρυσῷ στεφάνῳ reperiemus in *Corporis inscriptionum uolumine secundo* (nn. 2059. 2061. 2071 (Olb.). 2271 (Del.). 2671 (Ias.). 3255. 3185. 3376 (Smyrn.). 3521 (Nacr.). 3524 (Cum.). Add. 2053 d (Mesambr.). 2056 d (Odess.). 2221 c (Chi.). 2334 (Ten.). 2347 l. (Syr.). 2349 b (Andr.). 2374 e (Par.) 2488 c. (Astyp.). 3568 (Antandr.). Multo maiorem dubitationem affert § 115 — id quod hoc iam loco aptissime memoretur —, ubi, cum ne χρυσῷ στεφάνῳ quidem legatur, intellegi non potest, utrum Nausicli, qui coronandus erat, στέφανος χρυσοῦς an στέφανος θαλλοῦ tribuendus fuerit. Tale quid apud Athenienses, qui diligentissime illas significationes distinguebant, non inuenies; alios autem populos hoc discrimen minus obseruasse, exemplum docet in C. I. Gr. II n. 3655 (Cyzic.).

Tum uerbum ἀναγορεῦσαι, quod praeter §§ 54. 84. 118 in §§ 115 et 116 exstat, aliquid offensionis habet. Pro infinitiuo enim aoristi I omnes quantum intellego tituli Atheniensium honorarii exhibent inf. aor. II ἀνειπεῖν (C. I. Gr. I, n. 101. 107. 108 etc.) [1]). Sed quo rarius forma ἀναγορεῦσαι in decretis atticis obuia est, eo crebrius *Graeci asiatici* ea utuntur, cuius rei testes sunt: C. I. Gr. II, nn. 2061 (Olb.). 2330 - 2333 (Ten.) 2374 c. 2671. 2961. 3067. 3068. 3595 (Il.). 3598 (ib.). Add. nn. 2334 b. 2264 l. 2139 b etc. Infinitiuum aor. II, qui in titulis honorariis Atheniensium usurpatur, in sola Aeschinis libelli

1) Ne quisquam mihi obiiciat C. I Gr. I, n. 125, ubi lacuna singulorum uerborum antecedente solum ....I traditur, quam lineam literam i significare, postremam uerbi *ΑΝΑΓΟΡΕΥΣΑ*]*Ι* literam, Boeckh suo arbitrio coniecit, quamquam minime constat, num haec uox omnino suo loco sit. Si quidem tale quid ibi olim fuit, non dubito, quin ἀνειπεῖν scriptum sit.

§ 55 hoc autem loco haud recte positum reperio, cum antecedentibus infin. praes.: στεφανοῦν — ἀναγορεύειν (cf. C. I. Gr. II, 2347 c. (Syr.). I. n. 120, cuius patria incerta est) eundem infinitiuum ἀναγορεύειν exspectemus. Quem auctor utique eandem formam eiusdem uerbi paulo ante scripti non repetiturus uarietatis causa fugit.

Deinceps quod ad uerba: ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τοῖς μεγάλοις τραγῳδοῖς καινοῖς attinet, inscriptiones atticae — paucae sane hoc loco integrae sunt — aut sola uerba: ἐν τῷ θεάτρῳ, τραγῳδῶν τῷ ἀγῶνι (C. I. Gr. I, 101) aut: Διονυσίων τῶν μεγάλων, τραγῳδοῖς ἐν τῷ θεάτρῳ (C. I. Gr. I, 107 cf. n. 108. Kirchhoff: I. A. I. n. 59. Rangabé: A. H. II, n. 447. Boehnecke: Demosthenes etc. p. 212) habent. Unde efficitur, ut uerbum καινοῖς, quod in orat. de cor. §§ 54. 84. 115. 116. 118 exstat, Athenis uerbo τραγῳδοῖς non additum sit. Multoque minus locutio τραγῳδῶν τῇ καινῇ (§ 55) excusari potest, quae si defenditur ex usu *Graecorum Asiam minorem incolentium* magis quam Atheniensium explicanda est, quare Voemel (ad h. l.) suo iure lectores reiicit ad C. I. Gr. II, p. 461 b l. 20: κυκλίων τῷ πρώτῃ (sc. παρόδῳ cf. Boeckh ad h. l.). Adde, quod in §§ 54. 55. 115. 116. 118 codices datiuum Διονυσίοις praebent, cum decreta attica genetiuum Διονυσίων tradant. Qui datiuus apud *exteras gentes* inuenitur, id quod C. I. Gr. II Add. et corr. 2264 l. (Amorg.) demonstrat.

Postremo formulis decretorum, de quibus agitur, nonnulla uidentur deesse. Nam cum Aeschines c. Ct. § 49 expressis uerbis dicat: λέγει γὰρ οὕτως ἐν τῷ ψηφίσματι· »καὶ τὸν κήρυκα ἀναγορεύειν ἐν τῷ θεάτρῳ« κτέ. atque in eiusdem orationis § 189: δεῖ γὰρ τὸν κήρυκα ἀψευδεῖν, ὅταν τὴν ἀνάρρησιν ἐν τῷ θεάτρῳ ποιῆται, coniicendum est, uerba καὶ τὸν κήρυκα in decretis in honorem Demosthenis exaratis (in §§ 54. 84. 118) post ἀνειπεῖν posita fuisse, quod a more Atheniensium minime abhorret, cum in C. I. Gr. I, n. 101 legatur: ἀνειπεῖν δ' ἐν τῷ θεάτρῳ τὸν κήρυκα κτέ. Itemque miror, quod formula: ἀναγράψαι δὲ τὸ ψήφισμα κτέ., quae Demosthenis quidem

aetate et cum titulis honorariis et cum omnibus fere psephismatis coniungebatur, in nullo documentorum orationi de corona insertorum obuia est (cf. C. I. Gr. I, nn. 84. 87. 90. 92. 98 II, III. 100. 101. 107. 112. 113. 125. Pittakis: eph. arch. 3341. 3342. 3453 etc. Boehnecke: Demosthenes etc. p. 259).

Ac haec quidem in uniuersum de formulis, quae sunt de coronando Demosthene, uideamus nunc, quid de libello Aeschinis dicendum sit.

§§ 54 et 55.

Praescripta solemnia sequuntur uerba: *ἀπήνεγκεν πρὸς τὸν ἄρχοντα παρανόμων*, in quibus, quod ad genus dicendi pertinet, *omissum uerbum γραφὴν* offendit. Sane Voemel (ad h. l.) »ellipsim *γραφὴν* et *δίκην* in formulis forensibus satis defendi« existimat, id quod forsitan ad formulam *παρανόμων γράφειν* (Aesch. c. Ctes. § 195. Dem. c. Mnes. § 34. de cor. § 119) similesque referri possit, attamen uox *γραφὴ* locutioni supra memoratae nunquam, quantum scio, Demostheneo tempore deest. Immo in hac uerborum coniunctione aut plena formula: *ἀποφέρειν γραφὴν παρανόμων* (cf. uitt. X oratt. p. 835, 41) scribitur, aut uerbo *γραφὴ* cum articulo coniuncto genet. *παρανόμων* praetermittitur, si ex tenore orationis apparet, qualis accusatio fuerit (Dem. c. Aristocr. § 5. Aesch. c. Ctes. §§ 219. 217. 227). Uerbum autem *γραφὴν* non errore librarii excidisse, docent § 105 uarietasque codicum, qui alii alia sede *γραφὴν* uoci *παρανόμων* addunt.

Maioris autem offensionis est, quod memoratur, diiudicationem accusationis legum uiolatarum non ad *θεσμοθέτας*, quos exspectamus (uid. Droysen I. p. 562. Schoemann: Antiqu. iur. publ. p. 244. Hermann: Lehrb. der griech. Staatsa. § 138. Pauly: Realenc. VI, 2. p. 1874 s. u. *Θεσμοθέται* etc.), sed ad archontem delatam esse. Quare Voemel hanc difficultatem non negans proposuit (in progr. 1841 p. 5. cf. ed. de cor. not. ad h. l.), pro *πρὸς τὸν ἄρχοντα* legere: *πρὸς τοὺς ἄρχοντας* i. e. *θεσμοθέτας*. Quae coniectura ad nihilum recidit, cum illa

significatio Demosthenea aetate non in usum uocata uidetur esse (cf. Boeckh ad C. I. Gr. I, n. 380. Droysen I. p. 563).

Enumerantur deinde merita Demosthenis, de quibus Ctesiphon in rogatione praedicauerat. Antequam ad ea ipsa consideranda accedam, operae pretium erit, explorare, num uerba, quibus auctor in §§ 54 et 55 usus est, eadem sint, quae ex Demosthenis et Aeschinis dictis in rogatione Ctesiphontis locum tenuerunt. Liceat igitur, singulos ex utriusque oratoris scriptis petitos locos, e quibus intellegatur, quae fere uerba Ctesiphon usurpauit, componere. Atque in principio pono:

Aeschinis c. Ctes. § 49: *λέγει γὰρ οὕτως ἐν τῷ ψηφίσματι ...... ὅτι διατελεῖ λέγων καὶ πράττων τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ*, quae ad uerbum consentiunt cum §§ 101: *ὅν φησι Κτησιφῶν .... διατελεῖν λ..οντα κ. πρ... οντα τ. ἄρ. τ. δ. τῷ Ἀθηναίων* et 237: *ἐν ᾧ τετόλμηκας γράφειν, ὡς ... διατελεῖ λ. κ. πρ. τ. ἄρ. τ. δ. τ. Ἀθ.* neque multum abhorrent a §§ 50 *οὔτε νῦν διατελεῖ πρ. τὰ συμφέροντα τῷ δήμῳ* et 92: *ὅν φησι Κτησιφῶν τὰ βέλτιστα λέγειν καὶ πράττειν.* Neque aliter legitur in Demosthenis or. de cor. § 57: *τοῦ μὲν οὖν γράψαι πράττοντα καὶ λέγοντα τὰ βέλτιστά με τῷ δήμῳ διατελεῖν*, § 59 *ὁ γὰρ διώκων τοῦ ψηφίσματος τὸ λέγειν καὶ πράττειν τ' ἄριστά με* cf. §§ 86. 110. Quae formula in libello Aeschinis recte sane exstat, id quod argumentum fidei eius habendum non est, cum Demosthenes non multo post eandem locutionem adhibeat, mirum autem uidetur, quod in § 118, in ipsa rogatione Ctesiphontis — bona uestrum uenia hoc iam loco id memoro —, ex qua illi loci deprompti sunt (cf. Aesch. c. Ctes. §§ 49. 101. 237. Dem. de cor. § 57 etc.), tale quid desideratur [1]).

Etiam uerba *ἀρετῆς ἕνεκα .... καὶ ἀνδραγαθίας* congruunt cum Aesch. c. Ctes. §§. 49 et 155, uerba autem interposita:

---

1) Lubricum mihi uidetur Voemelii iudicium (progr. 1841 p. 5), uerba illa (*καὶ διότι διατελεῖ — ἀγαθόν*) in § 118 ante: *τῆς δὲ ἀναγορεύσεως* etc. facillime excidere potuisse.

καὶ εὐνοίας ἧς ἔχων διατελεῖ εἴς τε τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας καὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων dubitatione non uacant. Aeschines enim cum pluribus locis (in orat. c. Ctes. §§ 49. 101. 237) aperte et diserte Ctesiphontem contendentem, Demosthenem Atheniensibus magna commoda attulisse atque utilissima dixisse, impugnauerit (cf. Dem. de cor. § 57), quid, quaeso, sibi uult istuc: *εἴς τε τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας*? Quare equidem Voemelii auctoritati non obtemperem, quippe qui sentiat (in progr. 1841 p. 5), ea ipsa uerba in § 118 errore librarii excidisse.

De uerbis *καὶ πρόθυμός ἐστι — ἀγαθόν* nihil fere mihi dicendum est, nisi quod eadem sunt, quibus Demosthenes non multo post (in § 57) usus est.

Deinceps quaerentes, quae merita Demosthenis in hoc libello, quae in Ctesiphontis rogatione memorentur, inueniemus, in illo nihil fere certi afferri. Nam cum neque murorum Demosthenis auctoritate refectorum [1]), quos auctor in § 118 non supersedit, neque fossarum eius opera ductarum, quae etiam in § 118, quamquam Demosthenes ipse non paruo merito utramque rem sibi ducit (cf. Dem. de cor. §§ 248. 299. Aesch. c. Ctes. § 236. uitt. X oratt. p. 851 A uid. Spengel: Mus. Rhen. II. 378) desiderantur, neque pecuniarum, quas largitus est, ratio habeatur, nihil iam relinquitur, nisi formulae generales et apud omnes Graecos usitatae (cf. Franz: el. ep. 330), quas supra spectauimus.

Neque facilia ad intellegendum sunt uerba: *τῶν νόμων — καταβάλλεσθαι.* Nam cum in confesso sit, uerba *ψευδεῖς γραφάς*, quamquam sermone forensi Atheniensium »publicas actiones« significant, tamen respondentia antecedentibus uerbis *ψευδῆ γράψας* hoc loco idem fere ualere, quod *ψευδῆ γράμματα* uel *γεγραμμένα*, dubitare possumus, quid uoces *δημόσια γράμματα* sonent, utrum sint scripta quaedam in publicum

---

1) Neque enim uerba, quae paulo post quasi in parenthesi leguntur: *ἔστι δὲ Δημοσθένης — τεταγμένος*, in ea parte libelli, qua merita Demosthenis a Ctesiphonte laudibus elata exponuntur, posita sunt.

prodeuntia (ψηφίσματα, γραφαί uel sim.) an ipsum tabularium. Quodsi hoc accipimus, id quod primo obtutu aptissimum uidetur esse, sensus oritur: cum legibus interdictum sit, primum ne falsa scripta in tabularium referantur etc. Sin γράμματα eandem quam ψηφίσματα uim habere putamus, uertendum est: cum .... sit, primum ne falso scripta in decreta publica referantur. Ut hanc interpretationem approbem, mouent me uerba Aeschinis in or. c. Ctes. § 50: ἅπαντες γὰρ ἀπαγορεύουσιν οἱ νόμοι μηδένα ψευδῆ γράφειν ἐν τοῖς δημοσίοις ψηφίσμασι (cf. Syrian. Rhet. Walz. IV, 725: πρῶτον μὲν ὅτι ψευδῆ γέγραφε περὶ Δημοσθένους [γράμματα] γράψας ὅτι εὔνους· νόμος δέ ἐστιν ὁ κωλύων ψευδῆ εἰσφέρειν γράμματα (i. e. ψηφίσματα uel γνώμας). Weidner: Aeschinis in Ctes. or. § 50), quae perspicue et multo concisius eadem ac locus, de quo agitur, exprimere uidentur.

Postremo quandoquidem Voemel (Dem. oratt. c. Aesch. de cor. et de fals. leg. p. XV, § 147), multis exemplis demonstrauit, formam κλήτορες, quae in § 55 exstat, (pro κλητῆρες) posterioris aetatis esse, iam transeo ad

§§ 73 et 74.

In § 73 primum obuia sunt uerba: ὡς ἄρα, quorum hoc omnium fere uirorum doctorum (uid. Droysen I p. 803. Voemel ad h. l.) consensu non magis sermoni forensi respondet, quam illud, cum solam particulam ὅτι exspectemus.

Magis autem sermo atticus neglegitur uerbis Λεωδάμαντα (de quo uid. Droysen p. 802. Voemel ad h. l.) τὸν ναύαρχον i. e. Leodamantem »praefectum classis«. Hanc enim uim uoci ναύαρχον hoc loco et §§ 74 et 184 inesse, patet ex sequentibus uerbis: καὶ τὰ μετ' αὐτοῦ ἀποσταλέντα σκάφη. Nec tamen Demosthenea aetate praefecti classis (nos: Flottenkommandant) Athenis ναύαρχοι nuncupabantur, sed summa imperii classis tum quidem penes unum ex decem ducibus (στρατηγοί) erat (cf. Schoemann: Gr. Alt. I. p. 441—442. Newman: class. Mus. I, p. 166). Ναύαρχοι autem Demosthenis tempore erant praefecti singularum nauium Atheniensium (cf. Schoemann: Griech. Alt. I.

p. 457) atque postea demum, ex tempore fere Plutarchi, Athenienses exemplum aliarum gentium cum Lacedaemoniorum (Diodor. XV, 34. Xen. an. I, 4, 2. VI, 1, 16; 6, 13. VII, 1, 2; 2, 13. Thuc. IV, 11, 2. VIII, 20. cf. Stahl in ind. ed. Thuk. s. u. II, p. 250. Herod. VIII, 42) tum Persarum (Herod. VII, 59) et *Graecorum Asiam minorem insulasque prope sitas incolentium* praesertim Rhodiorum (uid. Wachsmuth: Hellen. Alterthumskunde, Halle 1846, II, p. 327) imitantes imperatorem naualem *ναύαρχον* appellabant (Plutarch: uit. Them. 18, 2; Arist. 23, 5) (cf. C. I. Gr. I, 2160 (Abyd.). II, 2160. Add. 2339b (Ten.)).

Deinde (Droysen I. p. 803) suo iure in uerbo *σκάφη* haesit, quo Demosthenes et aequales eius scriptores alueum nauis (oppos. armamentis) designant (Dem. symm. § 22 cf. schol. ad Thuc. I, 50, 1), cui hoc loco poëtarum ritu (Aesch. Agam. 1015. Suppl. 440. Soph. Ai. 1278. Trach. 804. Eur. Med. 1. Troad. 1039 etc.) eadem notio subest ac uocibus *νῆες* uel *τριήρεις*, quae Demosthenis tempore ad uaues longas significandas adhibebantur. Neque plane intellego, cur Voemel (in progr. 1842 p. 11) uerbum *σκάφη* defendens dicat: Das Dekret kann ausdrücklich *σκάφη* gebrauchen, um zu zeigen, dass dies nicht ausgerüstete Kriegsschiffe gewesen, dass also die Athener damit nicht die Absicht haben konnten, welche Philipp ihnen unterlegt. Quamnam ad rem naues illae longae — has intellegendas esse docet uerbum *ναύαρχος* — emittebantur? Ad frumentum comitandum nauibusque frumentariis praesidium ferendum utique. Contra quem auxilium necessarium uidebatur esse? Num contra solum Philippum? Nonne trepidis illis rebus etiam a piratis periculum minari potuit? Quae cum ita sint, quod auxilium naues longae non instructae praebere potuerunt? Utcunque igitur res se hahet, nihil iam restat, nisi ut accipiamus, auctorem huius decreti consuetudinem seriorum scriptorum atque poëtarum secutum »partem pro toto« posuisse.

Quid uero dicamus de uerbis: *ἐπιμεληθῆναι τοὺς πρυτάνεις καὶ τοὺς στρατηγούς, ὅπως ἡ βουλὴ συναχθῶσι?* Etiamsi contiones quaedam populi ducibus postulantibus conuo-

cabantur, tamen non traditum est, Athenis etiam senatum a prytanibus et ducibus esse coactum. Quare Reiske hanc difficultatem intellegens »prytanes«, inquit, »in curiam cogebant senatores, strategi autem plebem aut in Pnycem aut in theatrum, in contionem. Cur alias strategi hic loci commemorarentur? et a quo legendi erant legati? a senatu, an a plebe? a plebe utique. Ergo plebs quoque concienda erat« (Schaefer: Appar. crit. II, p. 114). Errorem igitur auctoris corrigere studens lacunam statuit, quam hocce modo explet: *ὅπως ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος συναχθῶσι.* Qua coniectura sensus sane multo clarior fit, faciliusque explicatur forma *συναχθῶσι*, cum scriptoribus quidem et rhetoribus liceret (cf. Voemel in progr. 1842 p. 11—12), cum singularibus substantiuorum multitudinem significantibus plurales uerborum coniungere, accuratiori autem generi scribendi forensi talis structura non idonea uideretur esse, nihilominus uero manent scrupuli quidam, qui nulla emendatione remoueri possint. Cohaeret enim arctissime cum hoc decreto senatusconsultum, quod in § 75 reperitur: id quod populus illo iusserat, hoc conficitur. Populus ducibus et prytanibus mandatum dederat, senatum conuocare legatosque creare (*ἐπιμεληθῆναι κτἑ .. καὶ αἱρεθῶσι πρέσβεις πρὸς Φίλιππον*), senatores a ducibus et prytanibus coacti (§ 75: *βουλῆς γνώμῃ, πρυτάνεις καὶ στρατηγοὶ ἐχρημάτισαν τὰ ἐκ τῆς ἐκκλ.*) uoluntate populi (*ὅτι ἔδοξεν τῷ δήμῳ*) delectum legatorum habent (*καὶ εἵλοντο τούσδε*). Itaque cum auctor in § 75 in eodem, quem in §§ 73—74 declarauit, errore uersetur, non est, quod Reiskio astipulemur. Adde, quod lectio *ὅπως ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος συναχθῶσι* tam uerbosa est, ut uix comprehendamus, cur pro *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος* non *ἡ ἐκκλησία* dictum sit. Quamobrem auctor illa locutione instituta moresque Atheniensium neglexit, cum soli prytanes senatum cogerent, laesit sermonem iudicialem, cum pluralem *συναχθῶσι* pro singulari poneret.

Etiam uerba *αἱρεθῶσι πρέσβεις κτἑ.* imperitiam quandam consuetudinis atticae demonstrant. Quemadmodum enim nouum est, quod senatui cura legatorum creandorum demandatur,

sic ansam offensionis praebet numerus legatorum praetermissus, qui ne tum quidem inscriptionibus deest, si eadem contio populi legatos mittendos esse iubet iussosque creat, nedum omittatur, si ipse delectus in proxima comitia differtur (cf. C. I. Gr. I, 107. Franz: el. ep. n. 69. Boeckh: Staatsh. II, p. 749. III, p. 466). Quem usum obseruatum inuenimus in § 29 (*πρέσβεις ἑλέσθαι .... πέντε*), uiolatum more *Graecorum asiaticorum* (C. I. Gr. II, 2155 (Myrin. Lemn.)) praeter § 74 in §§ 75. 184. 164. 165.

Paulo post exstat uerbum *πλοῖα*, quo Demosthenes scriptoresque eius aetatis cum naues minores tum mercatorias (nos: Kauffahrteischiffe) significant (cf. Classen ad Thuc. I, 14). Contraria est notatio nauium longarum, quae illi uocabulo hoc loco attribuitur. Naues enim longae nec uerbo *σκάφη* (cf. p. 38), nec uerbo *πλοῖα*, quod etiam in §§ 75 et 106 (*κατάλ.* 2) hoc sensu reperitur — raro sane *μακρὰ πλοῖα* respondent nauibus longis (Thuc. I, 14. Herod. V, 30) —, sed attico uel maxime forensi sermone uerbo *ναῦς* (Dem. de cor. §§ 96. 299 etc. Boeckh: Staatsh. III, p. 462, 469—478 etc.) uel *τριήρεις* (Dem. de cor. §§ 32. 204. 311. Aesch. c. Ctes. § 222. Boeckh: ib. III, p. 336—339 etc.) notabantur (cf. Newman in class. Mus. I, p. 167). Ceterum in *C. I. Gr. II*, 2347 c (Ten.) *τὰ πλοῖα* idem ualet quod *αἱ τριήρεις*.

Tum moleste se habet, quod ante coniunctionem *ὅτι* (*οὐ μεμψιμοιρεῖ*) uerbum dicendi supplendum est. Equidem dubito, num tale quid cum genere scribendi, quod ad componenda decreta Athenis adhibebatur, consentiat.

Quoniam ipse Voemel (in progr. 1842 p. 11) concessit, uerbum *μεμψιμοιρεῖν* primum aetate Polybii obuium esse, me uertam ad uerbum: *πλημμελοῦντα*, quod sensu uerbi *ἁμαρτάνειν* Demosthenis tempore non ita crebro inuenitur, ab auctore autem decretorum, de quibus res agitur, ualde adamatur, cum quinquies (in §§ 74. 155. 157. 166. 183) exstet (*cf. C. I. Gr. II*, n. 3062 (Te.)).

Deinde magnopere uereor, ut uerbum *ἐπιτιμᾶν* Demosthenea aetate uim poenas exigendi, quam in § 74 induit,

habuerit. Apud Demosthenem quidem scriptoresque, qui tum erant, in locum huius significationis succedit notio reprehendendi (Dem. de cor. §§ 64. 188. 294. de pace § 2. de f. leg. § 132. in Lept. § 148. Aeschin. c. Ctes. § 26. Thuc. IV, 28, 1 etc.). Quodsi ἐπιτιμᾶν illo loco eandem quam uerbum proprium ζημιοῦν (Boeckh: Verbesserungen und Nachträge zu den 3 Bdn. der Staatsh. 1851 XX) uel ζημίαν ἐπιτιθέναι (Herod. IV, 43) obtinet uim, sermo forensis Atheniensium non magis obseruatur, quam si paulo post legitur: κατὰ τὴν τῆς ὀλιγωρίας ἀξίαν. Uerbum enim ὀλιγωρία, cui apud bonos scriptores notio despicientiae et contemtus inhaeret (Thuc. II, 52. Herod. VI, 137. Dem. c. Con. § 39), hoc loco, id quod sensu postulatur, uim delicti habet. Cuius rei uox propria erat ἀδίκημα, quae non solum saepenumero apud Lysiam aliosque scriptores, uerum etiam cum iisdem fere uerbis ac in § 74 coniuncta inuenitur in C. I. Gr. I, n. 123: κατὰ τὴν ἀξίαν τοῦ ἀδικήματος. Quare uocem ὀλιγωρίαν posterioris aetatis consuetudinem loquendi olere existimo.

Locutio: ἰδίᾳ ἀγνωμονοῦσιν ἢ ὁ ἀποστείλας ἢ ὁ ἀπεσταλμένος eam ob causam non placet, quod sensus claudicare mihi uidetur. Sine dubio auctor dicturus erat, legatis mandatum esse, ut, si cognouissent, Philippum (ὁ ἀποστείλας) aut Amyntam (ὁ ἀπεσταλμένος) malo consilio Atheniensibus detrimentum intulisse, id renuntiarent. Sed quam perperam id, quod spectauit, uerbis expressit! Quidnam sibi uult uerbum ἰδίᾳ? Amyntas (ὁ ἀπεσταλμένος) sane ἰδίᾳ i. e. »sua sponte, suo arbitrio, sua uoluntate, priuatim« agere, Philippi (ὁ ἀποστείλας) iussa detrectare, contra mandata regis Atheniensibus nocere potuit, sed Philippus, ipse fortissimus ille et audacissimus rex Macedonum, quid? num is quoque alio iussu erat obstrictus, num is quoque ἰδίᾳ egit? Nonne is, quascunque res gessit, cum uice populi omnia regeret, δημοσίᾳ gessit? Deinde, quid sonent sequentia uerba: καὶ λέγειν? Atque profecto, quascunque uias ad ea explicanda uiri docti ingressi sunt, — reicio lectores ad Voemelii annot. ad h. l. — neque adhuc res plane illustrata est neque illustrabitur,

nisi accipimus, textum, quod uocatur, hoc loco esse corruptum. Quare medelam ei afferens, cum arbitrar, auctorem dicere uoluisse: legatis mandatum esse, ut, quidquid Philippus consulto deliquisset, id renuntiarent, coniicio, errore librariorum uerba *καὶ λέγειν* esse mutilata auctoremque scripsisse: *ἀπαγγέλλειν* i. e. renuntiare, quod uerbum semper fere de renuntiatione legatorum usurpatur (cf. C. I. Gr. I, 112. 113. Dem. de cor. 32. 33. 41. 42. 142. 284. de f. leg. §§ 5. 8. 18. 23. 28. 38. 39. 54. 59. 60. 63. 72. 74. 75 etc.).

§ 75.

Paucis tantum attingam locutionem *ἔδοξεν τῷ δήμῳ πρέσβεις ἑλέσθαι*, quae indefinite dicta est pro: *ἔδοξεν τ. δ. βουλὴν πρ. ἑλ.* (cf. § 74: *ἡ βουλὴ — αἱρεθῶσι πρέσβεις*); copiosius mihi liceat disputare de uerbis: *ἐντολὰς δοῦναι κατὰ τὰ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ψηφίσματα* i. e. mandata danda esse secundum decreta ex contione populi profecta. Sed cum iam supra (p. 39) demonstrauerim, hoc senatusconsulto id, quod populus in §§ 73 et 74 iusserat, confici atque peragi, quaeritur, quid pluralis *ψηφίσματα* significet, quandoquidem unum tantum populiscitum (§§ 73 et 74) factum est. Voemel igitur, dubitationem quandam adesse haud ignorans, uoculam *ἐκ*, quam optimi codices exhibent, lectionem minorum codicum sequens uncis inclusit et uertit: m. d. secundum plebiscita. Tum pluralis *ψηφίσματα* quidem facilior est explicatu, cum ad rogationes Aristophontis, Hegesippi ceterorumque, quos Demosthenes (§ 75) memorat, referendus sit, quid uero dicemus de singulari *τῆς ἐκκλησίας*? Nonne pluralem (*ἐκ*) *τῶν ἐκκλησιῶν* exspectamus? Adde, quod paulo ante legitur: *τὰ ἐκ τῆς ἐκκλησίας* (sc. *ψηφίσματα*?), quae uerba idem ualere uidentur quod *τὰ ἐκ τῆς ἐκκλ. ψηφίσματα*. Illa autem Voemel uertit: relata contionis, *τῆς ἐκκλησίας*, hoc est, contionis, cuius decretum §§ 73—74 comprehendunt. Haec igitur forsitan significent, ut accuratiore locutione utar, *τὰ ἐκ τ. ἐκκλ. ψηφισθέντα*, i. e. singula membra (partes) populisciti, uniuersumque sensum hunc esse iudico: mandata danda esse secundum ea, quae populus decreuerat, i. e. (§ 74):

1) *οἵτινες παραγενόμενοι διαλέξονται ... στρατιώτας;*
2) *εἰ μὲν δι' ἄγνοιαν .. πεποίηκεν ..... ὁ δῆμος οὐδέν;*
3) *εἰ δὲ μηδέτερον .... καὶ λέγειν (ἀπαγγέλλειν).*

Sin haec *τὰ ἐκ τ. ἐκκλ. ψηφίσματα* sunt — et quo diutius hoc mecum delibero, eo magis ad hanc sententiam adducor — auctor id, quod uoluit, non satis apte uerbis expressit, cum *τὰ ἐψηφισμένα* uel *ψηφισθέντα* (Lys. XIV § 12) scribere deberet, argumentumque »senatusconsulti« inane per se — quidnam noui memoratur? — non ita clarius fit.

Cum iam p. 39—40 satis indicauerim, morem Atheniensium eo uiolatum esse, quod, quamquam a populo (in § 74) nihil de numero legatorum creandorum decretum, nihil in senatusconsulto, quod iam tractamus, de eadem re constitutum est, nihilominus, tamquam nulla deliberatione, nullo consilio opus sit, tres legati deliguntur, nihil relinquitur, nisi ut dicam, formulam *καὶ εἵλοντο τούσδε* usui Atheniensium non plane respondere, qui, si nomina legatorum addebantur, *πρέσβεις ᾑρέθησαν* uel *οἵδε ᾑρέθησαν* (C. I. Gr. I, 93. Add. p. 899) scribebant.

§ 84,

quae iam sequitur, multas locutiones praebet, quae a consuetudine Atheniensium aliarumque gentium non abhorrent. Attamen quae prima exstat formula: *πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας παρέσχηται τῷ δήμῳ τ. Ἀθ.* magis ex ratione scribendi *coloniarum graecarum praesertim asiaticarum* mihi uidetur esse composita (C. I. Gr. II, 2058 A (Olb.), 2134 b (Sar.); 2267. 2268. 2271 (Del.), 2525 (Rhod.), 2675 (Ias.), 2335 (Ten.), 3068 (Te.), 3083 (ib.). I, 1335 (Taen.), quam Demosthenis aetate Athenis usitata fuisse. Pro illa enim abundantia orationis Athenienses simplicia uerba: *χρείαν παρέχεσθαι* usurpabant (C. I. Gr. I, 107. Franz: el. ep. n. 69. Pittakis: eph. arch. n. 1372. Boehnecke: Demosthenes etc. p. 255; Rangabé: A. H. n. 447).

Illi ubertati uerborum aduersatur obscuritas quaedam et indiligentia, quam uerba: *καὶ πολλοῖς τῶν συμμάχων — καί τινας τῶν — πόλεων* ostendunt. Decreta enim Atheniensium, etsi siccitas quaedam locutionum eis neganda non est, tamen

tanta subtilitate et cura erant exarata, ut mihi persuasum sit, in genuino psephismate socios illos, quibus Demosthenes per decreta opem tulit, non generalibus illis uerbis, sed, quo magis Demosthenis merita elucerent, multo accuratius esse notatos (cf. Droysen I. p. 817).

Deinde nimis uerbosa est formula: *καὶ πρότερον καὶ ἐν τῷ παρόντι καιρῷ*, quacum conferas locutionem plus iusto amplam in § 181: *ἔν τε τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ — ἔν τε τῷ παρόντι*. Quae cum sapori magis *exterarum gentium* (cf. C. I. Gr. II, 2782 (Aphrod.). 2335 (Ten.). 3605 (Il.). 3495 (Thyat.). 3067. Add. 2334 b) quam Atheniensium, quorum in decretis seu *τε νῦν καὶ ἔτι* (Boeckh: Staatsh. II, p. 749). seu *καὶ νῦν καὶ ἐν τῷ ἔμπροσθεν* (*πρόσθεν*) *χρόνῳ* (C. I. Gr. I, nn. 102. 107. Kirchhoff: I. A. I, n. 45. Rangabé: A. H. nn. 397. 464. 533) reperio, respondeant, non mirum est, quod in decreto Byzantiorum (§ 90) legimus: *ἔν τε τοῖς προγεγεναμένοις καιροῖς — ἔν τε τῷ παρεστακότι καιρῷ*.

Denique haereo in uerbis *διατελεῖ εὔνους ὢν τῷ δήμῳ*, quae, quo minus in psephismatis Atheniensium, in quibus, ubi de beneuolo uiro sermo est, semper scriptum inuenio: (*ἀρετῆς ἕνεκα καὶ*) *εὐνοίας* (C. I. Gr. I, nn. 101. 107. Franz: el. ep. n. 69) exstant, eo saepius in titulis honorariis praesertim *Graecorum asiaticorum* obuia sunt (C. I. Gr. II, 2053 b (Mes.) 2335 (Ten.). 2353. 2354. 2357 (Carth.). 3068 B (Te.) etc.).

p. 105.

Continet hoc »*ψήφισμα*« argumentum legis de re trierarchica a Demosthene rogatae (Voemel: progr. 1845 p. 4), argumentum sane, quo breuius uix conscribi possit, cum uerba tantum: *Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς εἰσήνεγκεν νόμον εἰς τὸ τριηραρχικὸν ἀντὶ τοῦ πρότερον, καθ' ὃν αἱ συντέλειαι ἦσαν τῶν τριηράχων* complectatur. Quorum alteram partem, quae, nisi Boeckhii sagacissimam emendationem: *εἰσηγ. νόμον τριηραρχικόν* (Staatsh. I, p. 737 ann. a) accipimus, omnino fere explicari nequit (cf. Newman: class. Mus. I, p. 155), praetermittens transeo ad alteram sententiam:

καθ' ὃν ... τριηράρχων. In quam si inquirimus, cognoscimus, imperfectum *ἦσαν* abrogata tantum priore lege poni potuisse, i. e. hoc documentum compositum esse Patroclis accusatione legum uiolatarum ad nihilum redacta Demosthenisque rogatione omnium Atheniensium consensu probata. Non igitur ipsum *ψήφισμα*, quod exspectamus (§ 105: *καί μοι λέγε πρῶτον μὲν τὸ ψήφισμα*), habemus.

Praeterea ex uerbis: *καὶ ἐπεχειροτόνησεν .... ὁ δῆμος· καὶ ἀπήνεγκεν κτἑ.* patet, populo demum in suffragio misso Patroclem ius iurandum interposuisse, quod iis repugnat, quae Demosthenes in §§ 102 et 103 exposuerat, cum ipse orator indicasset, Patroclem, antequam populus in suffragium iuisset, rogationi intercessisse.

Uerba *καὶ τὸ μέρος τῶν ψήφων οὐ λαβών* haud discrepant ab iis, quibus Demosthenes paulo ante (§ 103 cf. §§ 222. 250) usus erat, sed quod ad finem »*decreti*«: *ἀπέτισε τὰς πεντακοσίας δραχμάς* attinet, miremur, quod haec potissimum pecunia commemoratur, quamquam satis constat, Athenis eum, qui falsam actionem denuntiauerit, non quingentas, sed legibus iubentibus mille drachmas soluere debuisse (Schoemann, Griech. Alt. I. p. 499). Sane fieri potuit, ut populus interdum minorem multam constitueret (Voemel: progr. 1845. p. 5, cf. Schoemann: l. c. p. 500 n. 1), sed articulo *τὰς* prohibemur, quominus id hoc loco factum esse accipiamus. Itaque auctor, qui nescio an morem patrium secutus sit, hac quoque in re imperitiam quandam rerum Atheniensium prae se fert (cf. Newman: class. Mus. I, p. 155).

§ 115.

Primam ansam reprehensionis praebent uerba: *στεφανῶσαι Ναυσικλέα τὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων*, quippe cum in decretis Atheniensium nomini eius, qui coronandus et pronuntiandus erat, aut nomen patris (C. I. Gr. I, 93. 107. 115. Franz; el. ep. nn. 68. 69) aut et nomen patris et pagi (C. I. Gr. I, 101. 115 cf. decr. in or. de cor. §§ 54. 84. 118. 181) adderetur (cf. Droysen I. p. 926). Parum igitur intellego, cur Voemel (progr.

1843 p. 14) hanc sententiam respuens ad illa uerba defendenda exempla afferat ex Boeckhii: Oec. ciu. III, n. XIII a. l. 16. 27. 39. n. XVI, b. l. 133. Num tituli, quos citat, decreta honoraria sunt? Nonne eorum sunt, quos Boeckh »titulos magistratuum« nuncupat? Atque profecto tantum discrimen usus scribendi intercedit inter hos et decreta senatus populique — e. gr. in illis saepe inuenies: *ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίδος ὀγδόης πρυτανευούσης* iuxta: *ἐπὶ τ. Ἀ. ὀγδ. πρυτανείας* (Boeckh: Staatsh. II. pp. 31—34. 67—71 etc.), in his solam formam *ἐπὶ τ. Ἀ. ὀγδ. πρυτανείας* — ut quae Voemel protulit documenta non referenda sint ad iudicium faciendum de populiscitis. Quare in titulis honorariis Atheniensium quidem nunquam nomen patris et demoticum praetermittitur, *in decretis* autem *asiaticis* non raro solum nomen eius, qui corona dignus habebatur, memoratur (C. I. Gr. II, 2059 (Olb.). 2357 (Carth.). Add. et corr. 2263c (Am.) etc.). Praeterea mirum uidetur, quod quinque decretorum honorariorum atticorum, quae in or. de cor. exstant, tria ad Demosthenem pertinentia plena oratoris nomina exhibent, quae scilicet multo notiora erant, quam Nausiclis (§ 115), Charidemi Diotimique (§ 116).

Uenimus iam ad magistratum *ὁ ἐπὶ τῆς (τῇ) διοικήσεως (-ήσει)* uocatum. Cuius de appellatione quoniam supra (p. 27) satis disserui, hoc loco modo addam — id quod Droysen (I. p. 926) primus animaduertit —, mira et incredibilia esse uerba: *οὐ δυναμένου Φίλωνος, τοῦ ἐπὶ τῆς δ. κεχειροτονημένου διὰ τοὺς χειμῶνας πλεῦσαι καὶ μισθοδοτῆσαι τοὺς ὁπλίτας.* Quisnam unquam audiuerit, ipsum summum praefectum aerarii tempestatibus exortis nauigare non potuisse, ut militibus stipendium solueret? Num omnino penes unum pecuniae erant, quae exercitui stipendiorum meritorum causa dandae erant? Immo, sed aerario militari Atheniensium ex tempore Euclidis *ταμίαι στρατιωτικῶν*, qui dicuntur, aliique magistratus et maiore et minore auctoritate praeerant (uid. Boeckh: Staatsh. I, p. 216 seq.). Quare Voemel, haud ignorans, id, quod in § 115 de munere *τοῦ ἐπὶ τῆς διοικήσεως* memoratur,

difficultatem quandam praebere institutisque Atheniensium plane aduersari, hunc locum silentio praetermisit (progr. 1843 p. 17 seq.).

Denique dubito, num uerbum *μισθοδοτεῖν*, quod in hac paragrapho secundum seriorum scriptorum (Diodor.) usum cum accusatiuo sociatur: *μισθοδοτῆσαι τοὺς ὁπλίτας*, eundum casum iam Demosthenea aetate post se habuerit, cum Xen. in anab. 7, 1, 13 idem uerbum cum datiuo coniungat.

§ 116.

Hoc in decreto opponuntur: *ὁ ἐπὶ τῶν ὁπλιτῶν* et *ὁ ἐπὶ τῶν ἱππέων* (sc. *στρατηγός*). De illo conferas quaeso p. 26. Huius significatio Athenis erat inusitatissima. Nam cum aliis testimoniis (e. gr. Poll. onom. VIII, 94), tum Demosthenis uerbis (Phil. I, § 26) dilucidissime demonstratur, eius aetate non penes unum summum imperium copiarum equestrium fuisse, sed equitatui duos praefectos esse duces, a populo initio anni cuiusque creatos, quibus nomen *ἵππαρχοι* fuerit (Schoemann: Griech. Alt. I, 440. Pauly: Realenc. III, p. 1340. Wachsmuth: Hell. Alt. II, 326). Bis igitur auctor lapsus est, cum primum unum tantum ducem equitum Athenis fuisse memorauerit, quem errorem etiam in § 184 commisit, deinde cum praeter consuetudinem Atheniensium appellatione *ὁ ἐπὶ τῶν ἱππέων* usus sit pro: *ἵππαρχος*, quod uerbum in § 184 rectius legitur.

Offendit quoque locutio: *τῶν στρατιωτῶν τινῶν — σκυλευθέντων — καθώπλισαν τοὺς νεανίσκους ἀσπίσιν ὀκτακοσίαις*. Quaeritur enim, num ii, qui *στρατιῶται* nuncupantur, iidem sint ac *νεανίσκοι*, qui postea uocantur. Boeckh (opusc. IV, p. 273 ann. 3) hoc negat rectissimeque monet, si iidem intellegerentur uoculam *τινῶν* male cum numero »*ὀκτακοσίαις*« consentire. Quocirca rem ita explicat, ut existimet, nonnullis militibus in pugna armis spoliatis duces octingentos adulescentes maioris securitatis causa armis hoplitarum instruxisse. Quae explicatio si probabilis est — atque hac sola interpretatione bonus quidam sensus oritur uarietasque uerborum *στρατιωτῶν — νεανίσκους* quodammodo excusatur — relinquitur propria et mirabilis locutio: *καθώπλισαν τοὺς ν. ἀσπίσιν ὀκτακοσίαις*.

Quidni auctor, si id quod Boeckh sentit expressurus erat, *ὀκτακοσίους νεανίσκους ἀσπίσιν καθώπλισαν* scripsit?

Uerbum *νεανίσκους* ex Boehneckii sententia (Forsch. p. 285) idem ualet quod *ἔφηβοι*, quod Voemel (in progr. 1843 p. 18) impugnat iudicans, hoplitas omnino *νεανίσκους* i. e. robustos adulescentes esse. Attamen Demosthenea aetate illa uox hoc sensu tam raro usurpata est, ut uix intellegi possit, cur milites uel iuuenes, qui clupeis armati sunt, non uerbis *ἔφηβοι* (Newton: The coll. of anc. Gr. inscr. n. 19) uel *ἄνδρες* (Boeckh l. c.) uel *στρατιῶται* (C. I. Gr. I, 105) significati sint (cf. Newman in class. Mus. I, p. 167).

Neque secus formula *ἀναγορεῦσαι Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις ἐν τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι καὶ Διονυσίοις τραγῳδοῖς καινοῖς* dubitatione caret. Iam Boeckh (l. c. ann. 2) in eo haesit, quod in § 115 Nausicles solis ludis Bacchanalibus, Charidemus autem et Diotimus in § 116 duobis ludis et Panathenaeis et Bacchanalibus coronandi fuerint. Quam rem artificiose sane, sed ingeniosissime, ut solebat, expedire studuit. Effugit autem eum, ex Demosthenis tempore quantum scimus nullum exemplum adesse, ex quo pateat, Athenis uirum bene de republica meritum duobus ludis festis esse coronatum. Qui mos nescio an posterioribus demum saeculis Athenis quoque fuerit, frequentius apud *Graecos Asiam minorem incolentes* obuius est (C. I. Gr. II, 2330–2333 (Ten.). 2347 c (Syr.). Add. 2264 l (Am.). 2139b (Aeg.). Tempore autem Demostheneo uiros corona aurea dignos praesertim Bacchinalibus ludis neque pluribus diebus festis coronatos fuisse, docent exempla in C. I. Gr. I, 107. Franz: el. ep. n. 69. Kirchhoff: I. A. I, n. 59 etc. Neque huc referas decretum in C. I. Gr. I, 108, utpote quod non Atheniensium, sed Salaminiorum populiscitum sit.

Postremo pronuntiatio coronae demandatur *thesmotetis, prytanibus, agonothetis.* Quoniam de prytanibus et agonothetis supra (p. 30—31) fusius locutus sum, hic tantummodo adiiciam, thesmothetas ea aetate, ad quam documenta in or. de cor. spectant, Athenis non magis illis quos modo attuli magistratibus

munere pronuntiandae coronae functos esse. Praeterea quod ad ipsum uerbum θεσμοθέτας attinet, Voemel (in progr. 1843 p. 18) non satis accurate dicit: Nicht der Thesmothet, sondern die Thesmotheten steht da, cum non τοὺς θεσμοθέτας, sed θεσμοθέτας legatur. Articulus autem omissus non sine offensione mihi uidetur esse.

§ 118.

Initium rogationis Ctesiphontis non faciunt uerba ad fossas Demosthene auctore ductas pertinentia (Aeschin. c. Ctes. §. 236. uid. p. 36), sed uerba: ἐπειδὴ Δημοσθένης ..... γενόμενος ἐπιμελητὴς τῆς τῶν τειχῶν ἐπισκευῆς, quae non satis apte mihi uidentur expressa esse. Constat enim, Athenienses ita laborem reficiendorum moenium inter se diuisisse, ut singulae tribus singulos uiros crearent, quorum cura et auctoritate singulae murorum partes munirentur. Qui uiri τειχοποιοὶ appellati sunt (cf. Westermann: Ausgew. Red. d. Dem. II. Bdch. p. 3). Erant igitur decem uiri operibus illis praefecti (τειχοποιοὶ), quorum in numero Demosthenes uersabatur. Itaque Demosthenes τειχοποιὸς fuerat (Aesch. c. Ctes. §§ 14. 17. 28. 31), neque, id quod uerba γενόμενος ἐπιμελητὴς κτέ. indicare uidentur, solus uniuersae rei curam sustinuerat. Ceteroquin cum illa falsa locutione ad uerbum fere congruunt, quae Plut. in uitt. X. oratt. p. 846 A (§ 33) tradit, abhorret ab ea multoque accuratius dictum est quod in Aeschin. Ctes. §§ 24. 27 etc. reperitur, ἄρχων δὲ τὴν τῶν τειχοποιῶν ἀρχήν.

Ut ex uerbis ἐπιμελητὴς κτέ. efficitur, ut auctor aut parum diligenter id, quod uoluit, effinxerit aut non satis intellexerit, quo munere Demosthenes, cum moenia restituerentur, functus esset, ita de uerbis quoque προσαναλώσας ..... μνᾶς mihi confitendum est, neque in Demosthenis or. de cor. neque in Aeschinis Ctesiphontea memorari, Demosthenem tria talenta de suo in opus insumta populo donasse atque insuper cum theatrali pecuniae praeesset centum minas ad sacrificia largitum esse. Immo cum Aesch. c. Ctes. § 17 aperte dicat, cum centum tantum minas dono dedisse populo, quibus muri munirentur,

neque ipse neque Demosthenes in or. de cor. §. 113 duarum largitionum mentionem faciant, non iam quaeritur, utrum auctori decreti an uerbis Demosthenis et Aeschinis maiorem fidem habeamus. Accedit, quod locus ille in libro de uitt. X oratt. (p. 851 A § 3) non sine coniecturis et emendationibus eo perduci potest, ut cum uerbis, de quibus res est, concinat (Voemel in progr. 1841, p. 6. Spengel: Mus. Rhen. II, p. 378. cf. Boeckh: Staats. I, p. 288 not. d).

Atque de largitionibus hactenus. Uideamus nunc, quid locutio *ἐπέδωκε τοῖς ἐκ πασῶν τῶν φυλῶν θεωροῖς* (uid. Voemel ad h. l.) significet. Num, id quod ex ea apparet, Athenis singuli uel plures uiri (*θεωροὶ*) ex omnibus tribubus creati sint, ut loca sacra obirent, memoriae non traditum est, id autem uix excusari possit, quod auctor designationem loci, ad quem peregrinatio illa sacra suscepta sit, supersedit. Augetur obscuritas sensus, cum pecunia supra indicata (*ἑκατὸν μνᾶς*) tanta sit, ut non solum sociis unius, uerum etiam omnium fere pomparum, quotquot in solido anno agebantur, sacris faciundis suffecisset (cf. Droysen I p. 555. Newman in class. Mus. I, p. 167).

Offendit deinde formula *καὶ καλοκαγαθίας* (*ἕνεκα*), quam in titulis honorariis Atheniensium nunquam, saepenumero in decretis Graecorum alias terras incolentium inueni (C. I. Gr. II. Add. 2139 b (Aeg.). 2167 c (Methym.). 2334 b (Ten.). II, 2271 (Del.). 2347 c (Syr.). 3067 (Te.). Rangabé: A. H. n. 688 (Aeg.).

Num uerba *ἐν παντὶ καιρῷ* in atticis decretis, in quibus plerumque *καὶ νῦν καὶ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ* (cf. p. 44) obuium est, reperiuntur, in medio relinquam, frequentius utique exstant in *titulis asiaticis* (C. I. Gr. II, 2335 (Ten.). 2782 (Aphr.). 3067. 3605 (Il.). 3495 (Thyat.) (cf. Rangabé: A. H. nn. 681—683. 685. 687).

Priusquam ad § 164 diligentius tractandam aggrediar, opus esse uidetur, pauca de huius et sequentis decreti argumento disserere, cum arctissime inter se cohaereant. Recitanda ea curauit Demosthenes, ut demonstraret, quanta tum discordia,

quantae inimicitiae inter Thebanos et Athenienses fuissent ante Elateam a Philippo expugnatam. Exspectamus igitur, ut utroque decreto illustretur, quo in intolerabili statu respublicae Atheniensium et Thebanorum illis temporibus fuerint. Sed tantum abest, ut uerba Demosthenis (§§ 161. 163) psephismatis, quae hoc loco leguntur, confirmentur, ut prorsus alia memorentur. Etenim pro implababili odio Atheniensium in Thebanos utroque decreto narratur, Philippum foedus cum Atheniensibus factum pro nihilo ducentem magno cum exercitu Atticam petiuisse atque Athenienses legatos misisse, qui ei persuaderent, ut pacem et foedera conseruaret, si minus, ut indutias faceret. Praeterea quis est, qui credat, Athenienses eodem anno uno uix mense interiecto duo decreta fecisse, quorum argumentum non solum, sed etiam singula uerba eadem fere fuerint? Quantopere autem illa psephismata consentiant, singula utriusque membra inter se comparantes facillime cognoscemus. Legimus enim

in § 164	in § 165
κεφαλαίῳ δὲ ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν παρασκευάζεται παραγίγνεσθαι	*παρεσκεύασται δὲ καὶ παντὶ τῷ στρατεύματι πρὸς τοὺς ἔγγιστα τῆς Ἀττικῆς παραγίγνεσθαι τόπους.*
παρ' οὐδενὸς ἡγούμενος τὰς ἡμετέρας συνθήκας	*παραβαίνων τὰς πρὸς ἡμᾶς ὑπαρχούσας αὐτῷ συνθήκας*
πέμπειν πρὸς αὐτὸν πρέσβεις, οἵτινες αὐτῷ διαλέξονται καὶ παρακαλέσουσιν αὐτόν, — τὰς ἀνοχὰς ποιήσασθαι	*πέμψαι πρὸς αὐτὸν κήρυκα καὶ πρέσβεις, οἵτινες ἀξιώσουσιν καὶ παρακαλέσουσιν αὐτὸν ποιήσασθαι τὰς ἀνοχάς ...*
ᾑρέθησαν ἐκ βουλῆς	*ᾑρέθησαν ἐκ βουλῆς ..*

Quoniam uidimus, non ita magnum discrimen inter illa acta publica intercedere, iam inquiramus, quae in alterutro sermoni iudiciali Atheniensium non plane respondeant. Huc spectant in § 164 uerba: *ἃς μὲν — τινὰς δὲ* (cf. § 182), quae Demosthenea aetate in decretis scribendis non usurpata sunt. Athenis tum

quidem seu τινὰς μὲν — τινὰς δὲ seu ἃς μὲν — ἃς δὲ in usu fuisse, Droysen (I p. 598) suo iure iam memorauit.

Praeterea non placet locutio: πέμπειν πρὸς αὐτὸν πρέσβεις, non quo prorsus respuam uerbum πέμπειν, quod, quamquam Weidner ad § 63 or. Aesch. c. Ctes. uocem propriam de legatis, qui publice cum mandatis ad aliquem mittantur, ἀποστέλλειν esse censet, e. gr. in Boeckhii: Oec. ciu. II, p. 749 inuenitur, sed quia infinit. praes. positus est pro infinitiuo aoristi, qui in inscriptionibus lapideis semper, si legati mittendi erant, reperitur (Kirchhoff: I. A. I, n. 40. simil. χειροτονῆσαι: C. I. Gr. I, 107. Boeckh: Staatsh. II, p. 749: πέμψαι) (Newton: The coll. of anc. Gr. inscr. in the British Museum n. 22).

Exeunte fere paragrapho obuia est formula: ᾑρέθησαν ἐκ βουλῆς, quae non modo ideo suspecta mihi uidetur esse, quod attica decreta pro simplici uoce: ᾑρέθησαν aut οἵδε ᾑρέθησαν aut πρέσβεις ᾑρ. (cf. p. 43) exhibent, uerum etiam quod neque lapidibus neque a scriptoribus Demosthenei temporis quantum comperi traditum est, Athenienses unquam iussisse, legatos ex senatorum numero eligendos esse. Quod si nihilominus factum est, tamen constat, hanc non consuetudinem Atheniensium fuisse. Sin legati alia ac solita ratione creandi erant, hoc aperte in ipso decreto indicabatur (cf. p. 23—24: ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων). Ergo id offendit, quod neque in hoc neque in sequente decreto, in quo eadem locutio idemque error exstant, de hac re quidquam memoratum est.

Postquam ipse Voemel (in progr. 1841 p. 11) concessit, articulum τὰς ante ἀνοχὰς molestum esse, cum bellum non esset indictum, et Droysen (I. p. 700 et 701) suo iure iam animaduertit, intellegi non posse, cur in hac paragrapho senatoribus nomen demoticum, quod uocatur, in § 165 solum nomen patris additum sit, transeo ad

§ 165.

Hoc in psephismate, utpote quod easdem fere locutiones ac § 164 contineat, nihil iam relinquitur, quod proferam, nisi forte uerbum ἐνδεχομένως, quod scholam usumque posteriorum

scriptorum redolet (cf. Droysen I. p. 700. Voemel: progr. 1841 p. 14), et uerbum *ἐπιβάλλεται*, de quo Newman in class. Mus. I, p. 167 »*ἐπιβάλλεται*« inquit »is used in an Ionic or recent sens, for »»intends«« or »»aims««.

Postremum decretum, quod in oratione de corona obuium est, omnium, quae hactenus consierauimus, longissimum, *μακρότερον μὲν τῆς Ἰλιάδος, κενότερον δὲ τῶν λόγων* (Aesch. c. Ctes. §. 100), ostendit, quo studio auctor exemplum grauissimi oratoris, ipsius Demosthenis genus dicendi et scribendi imitari affectauerit. Age uero uideamus, quantum id quod legimus exemplari illi praeclaro, quod sine dubio ante oculos insertoris uersabatur, respondeat.

Complectitur haec Demosthenis rogatio:

§§ 181—187.

Illo studio Demosthenem imitandi primum nimia abundantia inanium uerborum efficitur, quam Droysen (I. p. 708) iam reprehendit, cum locutionem: *καὶ τὰ παρὰ πᾶσι τοῖς Ἕλλησι νομιζόμενα εἶναι δίκαια* absurde esse adiectam dicat. Accedit, quod antecedentia uerba *παραβαίνων τὰς συνθήκας* (cf. § 165) et *ὑπεριδὼν τοὺς ὅρκους* eadem significant, sequentia autem tam generaliter et indefinite dicta sunt, ut dubitandum sit, num Demosthenes res a Philippo gestas hac ratione descripserit.

Uox *δοριάλωτος* forsitan temporibus posterioribus in inscriptionibus legatur, Demosthenis uero aetate a sermone forensi abhorret, raro in oratione pedestre (Herod. VIII, 74. Xen. Cyr. VII, 5, 35) crebrius apud poëtas exstat (Eur. Tro. 504. Ellendt: Lex. Soph. I, p. 446 s. u.).

Neque sine causa Newman (class. Mus. I, p. 168) suspectum habet *προάγειν*, quia »we find *προάγει* in the intransitive meaning of increases«.

Offensionem deinde praebent uerba: (§ 182) *εἰς ἐνίας δὲ καὶ ἀντὶ Ἑλλήνων βαρβάρους κατοικίζει.* Etsi enim scimus, Philippum in alias terras colonias deduxisse, e. gr. Philippos in Thracia sitos condidisse, tamen quis est, qui un-

quam audiuerit, eum singulas quoque Graecorum urbes colonis Macedonum frequentasse? Quod si re uera factum est, tanti momenti erat, ut Demosthenes certe colonias illas accuratius designasset.

Quod ad sententiam: *οὐδὲν ἀλλότριον ποιῶν κτέ.* attinet, Demosthenes sane, si quando contumelia Atheniensibus a Philippo imposita incensus orationem habuit, talia loqui, hoc modo iram, qua commotus erat, effundere potuit, nec tamen accipiendum est, in lege, in populiscito Atheniensium hac ratione et Atheniensibus et Demosthene indigna, naturam et ingenium Philippi notata esse. Quare hanc locutionem non minus crassiori seriorum rhetorum sapori respondere arbitror, quam ille locus communis, ut ita dicam, *ἐπιλελησμένος — μέγας.*

In § 183 iam Reiske, Wunderlich, Schaefer, Voemel, Droysen (I. p. 710) haud immerito in uoce *ἰδίας* haeserunt, quippe cum primo quidem obtutu ex collocatione uerborum consequi uideatur, eam ad Philippi oppida esse referendam, sensu autem postuletur, ut Atheniensium oppida intellegantur.

Tum locutio: *ἀνάξιον τῆς τῶν προγόνων δόξης* eam ob causam dubitatione non uacat, quod in eiusdem psephismatis §§ 184 et 185 iterum atque iterum gloria maiorum memoratur, dum in § 186 ad eam celebrandam tanta doctrina studiumque fabularum ostentatur, ut iam H. Wolf facere non posset, quin diceret: quid? si scurra quispiam hoc assuit? et Droysen (I. p. 711) tale quid scholam redolere censeret.

Neque legenti mihi in § 184: *εὐξαμένους καὶ θύσαντας τοῖς θεοῖς καὶ τοῖς ἥρωσι* notum est, Athenienses illis temporibus uictoria non reportata publice sacra fecisse et precatos esse, ut dei auxilium ferrent uictoriamque darent. Id tantum constat, eos, ubi prospero fortunae flatu usi sunt, ex populiscito precationibus et sacrificiis gratias diis agere solitos fuisse (uid. Hermann: Lehrb. der gottesdienstl. Alterth. der Griechen § 48. Schoemann: Griech. Alterth. II, p. 233).

Deinde Newman (class. Mus. I, p. 168) suo iure animaduertisse mihi uidetur, uoces *ἐνθυμηθῆναι — διότι* non satis concinne dictas esse pro: *ἐνθυμηθῆναι — ὅτι.*

Dubia quoque sunt uerba: *τὸν ναύαρχον* — *τὸν στρατηγὸν καὶ τὸν ἵππαρχον*. Etenim desideramus ipsa nomina illorum ducum, quae in decretis atticis numquam silentio praetermittuntur, nisi forte omnes strategi memorantur (*οἱ στρατηγοί*: Franz: el. ep. n. 59).

Pro uerbis *τὰς πεζὰς καὶ τὰς ἱππικὰς δυνάμεις Ἐλευσῖνάδε ἐξάγειν* Demosthenes in § 177 locutionem: *ἐξελθόντας Ἐλευσῖνάδε τοὺς ἐν ἡλικίᾳ καὶ τοὺς ἱππέας* usurpauerat.

Formula *πέμψαι δὲ καὶ πρέσβεις* non solum ideo offendit, quod numerus legatorum non indicatus est (uid. p. 39—40), sed etiam quod uox *αὐτίκα* non exstat, quae ubi in eadem contione populi legati creandi sunt semper apponebatur (uid. p. 23).

In § 185 periodus ut erat longior per se, ita dura ratione abrumpitur, cum pro *ὅτι ὁ δῆμος* ... *βοηθήσει* infinitiuum *βοηθήσειν* exspectemus.

Sequntur uerba: *βοηθήσει καὶ δυνάμεσι καὶ χρήμασι καὶ βέλεσι καὶ ὅπλοις*, quae non multum discrepant a uitt. X oratt. decr. II § 2: *παρασκευὴν ὅπλων καὶ βελῶν καὶ μηχανημάτων*, III, § 5: *ὅπλα μὲν πολλὰ καὶ βελῶν μυριάδας*, § 90 orat. de cor.: *βοηθήσας πλοίοις .... καὶ σίτῳ καὶ βέλεσι καὶ ὁπλίταις*, abhorrent a genere scribendi, quo Athenienses in decretis exarandis utebantur (Boeckh: Verbesser. und Nachtr. zu den 3 Bdn. der Staatsh. p. XX: *βοηθεῖν Ἀθηναίους* ... *κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν παντὶ σθένει κατὰ τὸ δυνατόν* (cf. C. I. Gr. I, n. 107. Franz: el. ep. n. 69: Rangabé: A. H. n. 381).

Turbat deinde infinitiuus *εἶναι* ex uerbis *εἰδὼς ὅτι* aptus adeo constructionem, ut coniiciendum sit, hunc locum errore librarii esse corruptum auctoremque recte scripsisse: *ἐστίν*.

In § 186 uerbum *ἀντιβαίνειν* Newmanni (class. Mus. I, p. 168) suspitionem mouet, qui breuissime, ut solet, »we find« inquit »— *ἀντιβαίνειν* in a rather suspicous poetical sense for *ἐναντιωθῆναι* or *ἀντιστῆναι*«.

Item in § 187 articulus ante: *ἄλλοις Ἕλλησι* omissus nullo modo ferri potest, quare ab Reiskio iam additus est.

Noua autem atque inaudita sunt uerba: ἐπιγαμίαν ποιήσασθαι καὶ ὅρκους δοῦναι καὶ λαβεῖν. Quis unquam audiuerit, Athenienses cum alia gente foedus icturos Demosthenea aetate iisdem legatis mandatum dedisse, ut simul conubium facerent simulque iura iuranda et darent et acciperent? Sed ut de conubio taceamus (uid. Hermann: Lehrb. der griech. Alt. § 116 n. 2), accuratius consideremus locutionem: ὅρκους δοῦναι καὶ λαβεῖν. Quam conferentes cum ea, quae in § 29 (uid. p. 23) reperitur, intellegemus, discrimen quoddam inter utramque intercedere. Ibi enim Athenienses pacem cum Philippo faciendam iure iurando iam firmauerant, ita ut uox δοῦναι suo loco non esset; tempore autem, quo Demosthenes rogationem, quam tractamus, tulit, nec a Thebanis nec ab Atheniensibus quidquam de foedere faciendo gestum erat. Qua de causa uerba ὅρκους δοῦναι καὶ λαβεῖν dubitationem non uidentur praebere. Attamen non plane cum consuetudine Atheniensium consentiunt. Qui cum alia gente foedus icturi primum comitiis habitis legatos creabant, qui publice uenientes de pacto agerent. Quo facto legati postquam contione populi iterum coacta Atheniensibus renuntiauerunt, gentem illam foedus accepisse, dimittebantur, ut gentem, quacum foedus inituri erant, ad ius iurandum adigerent. Postremo senatus, duces principesque rei publicae Atheniensium uice populi fungentes foedus sanciebant (cf. Schoemann: Griech. Alt. II, p. 19). Quem morem Atheniensium auctor supersedit, cum legatos non solum iusiurandum Thebanorum accipientes, uerum etiam uicissim iurantes faciat, quod eo magis mirum est, cum Athenae et Thebae tam paruo spatio disiunctae sint, ut legati celerrime reuerti possent.

Finis decreti efficitur uerbo πρέσβεις (uid. p. 43 et 52) κτέ., quod nomina non decem legatorum, quem numerum ipse Demosthenes in § 178 indicauerat, sed quinque tantum uirorum sequuntur. Qui error num Voemelii coniectura (in progr. 1842 p. 9), quinque nomina excidisse, excusari possit, equidem magnopere dubitem (cf. Droysen I. p. 712).

Caput. III.

De auctore decretorum quid statuendum sit.

Quoniam antecedente disputatione et praescripta solemnia et ipsa decreta satis mihi uidentur tractata esse, iam nostrum erit, anquirere, quae ex ea concludi possint, qui fructus ex ea in hanc dissertationem redundet, quid de auctore decretorum statuendum sit. Priusquam autem haec diligentius scrutemur, operae pretium erit, quam breuissime atque summatim quae hactenus sunt exposita comprehendere. Quod quo melius eluceat, eandem fere dispositionem ac supra sequens in principio pono sub litera:

A. Praescriptiones, quarum nulla integra est.

I. Desiderantur enim (asiatico more)

a) *in singulis praescriptis:*

α) *ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* (in §§ 29. 73. 84. 105. 118. 181. p. 9. cf. p. 14).

β) *ἐπὶ τῆς [Ἀντιοχίδος ἐνδεκάτης] πρυτανείας* (in §§ 37. 73. 115. 165 [75] p. 9).

γ) dies mensis (in § 73. p. 12).

δ) nomen legis latoris (in §§ 164. 165. p. 9).

ε) omnia praeter nomen rogatoris uerbaque: *πρυτάνεων λεγόντων βουλῆς γνώμη* (in § 116. p. 8).

b) *in omnibus praescriptionibus:*

α) *[ἐνδεκάτῃ] τῆς πρυτανείας* (p. 9).

β) *τῶν προέδρων ἐπεψήφιζεν* (p. 9).

II. Contra consuetudinem forensem Atheniensium.

a) *pars praescriptionum ipsi decreto apponitur in* § *75* (p. 14. 16).

b) *βουλῆς … γνώμη legitur* in §§ 37. 75. 115. 116. 164. 165 (p. 9. 14—16).

c) *collocatio singulorum membrorum Atheniensium usu certo ordine dispositorum neglegitur* (p. 10 sq.).

d) *nomen rogatoris fini* §§ 38 (?) et 84 iterum additur (p. 16),

III. Genus scribendi asiaticum magis quam atticum. Graecorum enim Asiam minorem incolentium more neglegitur:

a) *collocatio uerborum:*

α) *ἐπὶ ἄρχοντος Μνησιφίλου* pro: *ἐπ. Μ. ἀρ.* in §§ 29. 73. 105. 115. 118. 164. 165. 180 (p. 10).

β) *εἶπεν Καλλίας* .. pro: *Κ. εἶπεν* in § 116 (p. 16).

γ) *συγκλήτου ἐκκλησίας*, pro; *ἐκ. σ.* in § 37 (p. 11).

b) *delectus uerbi ἀπιόντος* pro: *φθίνοντος* in §§ 37. 84. 118 (p. 12).

c) *constructio uerborum:*

α) *ἄρχων Δημόνικος* .. pro: *ἐπὶ Δημονίκου ἀρχ.* in § 115 (p. 11).

β) *φυλῆς πρυτανευούσης* (*Πανδιονίδος*) pro: *ἐπὶ τῆς* (*Π.*) (*ἐνδεκάτης* uel sim.) *πρυτανείας* (p. 13).

γ) *πρυτανεία φυλῆς Ἱπποθοωντίδος* pro: *ἐπὶ τῆς Ἱπποθωντίδος* (*ἐνδ.*) *πρυτανείας* in § 75 (p. 14).

δ) *συγκλήτου ἐκκλησίας* pro: *ἐκκλησία σύγκλητος* in § 37 (p. 17).

d) *appellatio archontum, rogatorum, mensium:*

α) *ἄρχων Δημόνικος Φλυεὺς* pro: *ἐπί ἀρχ. Δημονίκου* omisso demotico nomine (§ 115. p. 11).

β) *ἐπὶ Χαιρώνδου Ἡγήμονος ἄρχοντος* pro: *ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος* omisso nomine patris (§ 84. p. 11—12).

γ) *μηνὸς βοηδρομιῶνος* (uel sim.) pro: *βοηδρομιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ* (uel sim.) in §§ 73. 105. 164. 165 (p. 12 sq.).

δ) *Ἀριστοφῶν Κολλυτεὺς πρόεδρος εἶπεν* pro: *Ἀρ. Κολλυτεὺς εἶπεν* in § 75 (p. 16).

IV. Coniunguntur praescriptiones cum decretis

a) *aut Graecorum asiaticorum ritu — huc spectant:*

α) §§ 116. 164. 165: *ἐπειδὴ — δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* pro: *ἐπειδὴ — δεδ. τῷ δήμῳ* (p. 18 sq.).

β) §§ 29. 84. 118: *ἐπειδὴ — δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων* pro: *ἐπειδὴ — δεδ. τῷ δήμῳ* (p. 18 sq.).

γ) § 181 seq.: *ἐπειδὴ — διὸ δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων* pro: *ἐπειδὴ — δεδόχθαι τ. δήμῳ* (p. 19).

b) ***aut prorsus a consuetudine Atheniensium abhorrentes*** — huc spectant: §§ 75. 105. 115 (p. 19—20).

B. Ipsa decreta multa habent, quae mira sint. Huc pertinent:

I. r e s a t q u e i n s t i t u t a A t h e n i e n s i u m n o n s a t i s o b s e r u a t a. Aliter igitur depinguntur:

a) *magistratus Atheniensium*

α) duces:

αα) *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων* in §§ 115. 116. 184. 37 (p. 26).

ββ) *ὁ ἵππαρχος* uel *ὁ ἐπὶ τῶν ἱππέων* in §§ 116. 184 (p. 47).

γγ) *ὁ ναύαρχος* pro: *στρατηγὸς* in §§ 73. 184 (p. 37 sq.).

β) *ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως* in §§ 38. 115 (p. 27—28. 46).

γ) *ὁ γραμματεὺς τῆς βουλῆς* in § 38 (p. 28).

δ) magistratus, quibus pronuntiatio coronae curae est:

αα) *ἀγωνοθέτης* in §§ 84. 118 (p. 30—31).

ββ) *πρυτανεύουσα φυλὴ* in § 84 (p. 31).

γγ) *θεσμοθέται, πρυτάνεις, ἀγωνοθέται* in § 116 (p. 30—31. 48).

ε) *ἄρχων ἐπώνυμος* in § 54 (p. 34).

b) *consuetudines quaedam et mores Atheniensium:*

α) senatus a prytanibus et strategis conuocatus in § 74 (p. 38—39).

β) corona duobus diebus festis pronuntiata in § 116 (p. 48).

γ) publica sacrificia et precationes in § 184 (p. 54).

δ) multa ei dicta, qui falso legum uiolatarum accusauerat in § 105 (p. 45).

II. genus scribendi

a) *delectus uerborum, quae*

α) aut a poëtis adamantur, ut

αα) *τὰ σκάφη* in § 73 (p. 38).

ββ) *δοριάλωτος* in § 181 (p. 53).

γγ) *ἀντιβαίνειν* in § 186 (p. 55).

β) aut apud seriores scriptores magis quam Demosthenea aetate exstant:

αα) *πλημμελεῖν* in § 74. 183 (p. 40).

ββ) *μεμψιμοιρεῖν* in § 74 (p. 40).

γγ) *νεανίσκος* in § 116 (p. 48).

δδ) *πλοῖα* pro *τριήρεις* in §§ 74. 75. 106. (p. 40).

εε) *ἤδη* apud inf. pro *αὐτίκα* in § 29 (p. 23).

ζζ) *παρεύρεσις* pro: *πρόφασις* in § 37 (p. 24).

ηη) *ἐνδεχομένως* in § 165 (p. 52).

γ) aut Demosthenis tempore alium sensum praebent:

αα) *ἀποδημεῖν* in § 29 (p. 22).

ββ) *ἐπικρίνειν* in § 38 (p. 25).

γγ) *ἐπιτιμᾶν* in § 74 (p. 40—41).

δδ) *ὀλιγωρία* in § 74 (p. 41).

εε) *ἐπιβάλλεσθαι* in § 165 (p. 53).

δ) aut aliter ac in decretis atticis flectuntur:

αα) *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων* pro: *ὁ ἐπὶ τὰ ὅπλα* in § 115. 116. 184 (p. 26).

ββ) *ὁ ἐπὶ τῶν ἱππέων* pro: *ἵππαρχοι* in § 116 (p. 47).

γγ) *συναχθῶσι* pro *συναχθῇ* in § 74 (p. 38—39).

δδ) *ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως* pro *ὁ ἐπὶ τῇ δ.* in §§ 38. 115 (p. 27).

εε) *Διονυσίοις* pro *Διονυσίων* in §§ 54. 55. 115. 116. 118 (p. 33).

ζζ) *ἀναγορεῦσαι* pro *ἀνειπεῖν* in §§ 54. 84. 115. 116. 118 (p. 32—33).

ηη) *πέμπειν* pro *πέμψαι* in § 164 (p. 52).

θθ) *κλήτορες* pro *κλητῆρες* in § 55 (p. 37).

ε) aut aliam constructionem post se habent:
αα) *μισθοδοτεῖν* in § 115 (p. 47).
ββ) *ἐνθυμεῖσθαι* in § 184 (p. 54).

b) *formulae quaedam, quae*

α) aut in titulis asiaticis reperiuntur:
αα) *ἐκ πάντων Ἀθηναίων* pro: *ἐξ Ἀθ. ἁπάντων* in § 29 (p. 23—24).
ββ) *πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας παρέχεσθαι* in § 84 (p. 43).
γγ) *καλοκαγαθίας ἕνεκα* in § 118 (p. 50).
δδ) *καὶ εἵλοντο τούσδε* in § 75 (p. 43 cf. § 187. p. 52).
εε) *διατελεῖ εὔνους ὢν* in § 84 (p. 44).

β) aut consuetudini Atheniensium non respondent:
αα) *ὅρκους δοῦναι καὶ λαβεῖν* in §§ 29. 187 (p. 23. 56).
ββ) *μηδεμίαν ὑπερβολὴν ποιεῖσθαι* (in § 29 (p. 23).
γγ) *ἃς μὲν — τινάς δὲ* (in §§ 164. 184 p. 51—52).
δδ) *ἔν τε τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ — ἔν τε τῷ παρόντι* in § 181 (p. 44. cf. §§ 84. 118 p. 50).
εε) *βοηθεῖν καὶ δυνάμεσι καὶ χρήμασι καὶ βέλεσι καὶ ὅπλοις* in § 185 (p. 55).
ζζ) *ὁ Ἀθηναίων δῆμος* in §§ 29. 181. 185. 186. 187 (p. 24).

c) *omissa singula:*

α) Graecorum asiaticorum more:
αα) *ἐπαινέσαι* in §§ 54. 115. 116 (p. 30).
ββ) significatio pretii coronae pronuntiandae in §§ 54. 84. 116. 115. 118 (p. 32).
γγ) et *ἐπαινέσαι* et pretium coronae in § 115 (p. 32).
δδ) numerus legatorum creandorum in §§ 74. 75. 164. 165. 184 (p. 39—40. 55).
εε) nomen patris et demoticum eius, qui coronandus erat in § 115. 116 (p. 45).
ζζ) nomina ducum in § 184 (p. 55).
ηη) *τὸν κήρυκα* in §§ 54. 84. 118 (p. 33—34).

β) contra morem atticum

αα) *ἀναγράψαι δὲ τὸν στέφανον κτέ.* in omnibus decretis (p. 33—34).

ββ) *γραφὴν* (*ἀπήνεγκεν*) in §§ 54. 105 (p. 34).

γγ) *ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων* (uel sim.) *αὐτίκα* (*πρέσβεις ἑλέσθαι*) in §§ 164. 165. 181—187 (p. 39—40. 55).

δδ) *στεφάνῳ χρυσῷ* uel *θαλλοῦ* in § 115 (p. 32).

εε) articulus:

1) ante *θεσμοθέτας* in § 116 (p. 48 - 49).

2) ante *ἄλλοις Ἕλλησιν* in § 187 (p. 55).

d) ***male addita:***

α) articulus *τὰς* ante *ἀνοχάς* in § 164 (p. 52).

β) uox *ἄρα* in § 73 (p. 37).

γ) *εἴς τε τοὺς Ἕλληνας* in § 54 (p. 36).

e) ***abundantia uerborum*** in § 181 seq. (p. 53).

III. nonnulla

a) ***aut indefinite dicta***:

α) *τῶν νόμων — καταβάλλεσθαι* in § 54 (p. 36—37).

β) *ἰδίᾳ* in § 74 (p. 41).

γ) *καὶ λέγειν* in § 74 (p. 41—42).

δ) *ψηφίσματα* in § 75 (p. 42—43).

ε) *καὶ πολλοῖς τῶν συμμάχων* in § 84 (p. 43 - 44).

ζ) *τῶν στρατιωτῶν τινῶν κτέ.* in § 116 (p. 47—48).

η) *ἰδίας* in § 183 (p. 54).

θ) *εἰς ἐνίας* (*πόλεις*) *ἀντὶ Ἑλλήνων βαρβάρους κατοικίζει* in § 182 (p. 53—54).

b) ***aut cum Demosthenis et Aeschinis uerbis non satis congruentia:***

α) *ἐπιμελητὴς γενόμενος* in § 118 (p. 49).

β) *προσαναλώσας — μνᾶς* in § 118 (p. 49—50).

γ) numerus legatorum in §§ 29. 187 (p. 43. 52—56).

c) ***aut desiderata quaedam***

α) muri Demosthenis auctoritate refecti in § 54 (p. 36).

β) fossae Demosthenis cura ductae in §§ 54. 118 (p. 36. 49).

γ) uerbum dicendi ante *ὅτι* in § 74 (p. 37).

Quaeritur iam, num decreta, in quibus tot et tanta offendunt, praesertim cum plurimae alius modi difficultates accedant, omnes fere archontes pseudeponymos esse constet, nomina legatorum nimiam fidem non habeant, multa ad historiam et res gestas spectantia uix ac ne uix quidem explicari possint (conferas, quaeso, praestantissimam Droysenii de hac re dissertationem), multa peritiam nostram rerum et antiquitatum Atheniensium non solum non expediant, immo uero turbent, — quaeritur igitur, num haec psephismata eadem ac genuini tituli lapidarii auctoritate digna, num Demosthenis aetate seu ab ipso Demosthene seu ab aequali aliquo eius inserta sint. Nemo mehercule erit, qui hoc contenturus sit! Itaque cum originem ducant ex posterioribus aetatibus, dubitet aliquis, utrum auctor, quem suspicor, ex bonis fontibus hauserit, siue inscriptionibus lapidibus incisis siue corporibus inscriptionum, quae uocantur, a Cratero aliisque uiris doctis collatis usus est, an suo arbitrio finxerit. In illa sententia, ut supra demonstraui, usque ad Droysenii memoriam omnes fere philologi, postea praecipue Boehnecke et Voemel erant, hanc Droysen et plerique ex illo tempore uiri docti defenderunt (cf. p. 2 seq.). Atque profecto quicunque Droysenii quaestionem subtilem summaque doctrina elaboratam legerit et comparauerit cum ea, quae ipse de hac difficili re disserere conatus sum, persuasum habebit, scriptorem, qui tot et tantos commisit errores — »*aenigmata Oedipo digna*« (Boehnecke: Forschungen etc. p. 351) — certe non actis publicis uel collectionibus psephimatum nisum decreta illa composuisse. Quare aliam rem inuestigandi uiam ingressus eademque fere ac Droysen consecutus *non dubito, quin omnia, quae modo contemplati sumus, decreta neque ab ipso Demosthene neque ab aequali scriptore neque a seriore auctore documenta summa fide digna usurpante orationi de corona addita, sed ficta sint adhibitis solis Demosthenis uerbis a uiro quodam docto, grammatico uel rhetore, qui circa centum annos a. Chr. uixerit,* id quod praesertim usus uerborum quorundam (μεμψιμοιρεῖν, ὀλιγωρία al.) indicant (cf. Droysen I. p. 964). Simul astipulor

Droysenio dicenti (l. c.): Ich finde keinen Grund anzunehmen, dass die Urkunden etwa von mehreren verfasst sind, cuius rei praecipue proprietates quaedam in omnibus fere decretis exstantes (βουλῆς .. γνώμῃ, πρυτανευούσης, ἀναγορεῦσαι al.) testes sunt. Unus igitur auctor haec psephismata mente excogitauit. Quis ille fuit? Num rhetor Atheniensis? Equidem hoc negem. Quaenam fuerit patria eius? Ea sine dubio, ubi eae formae praescriptionum, quae in decretis orationi de corona insertis reperiuntur, obuiae sunt, ubi γνώμῃ βουλῆς, μηνὸς — ἀπιόντος, ἐπὶ ἄρχοντος Μνησιφίλου (uel sim.), ἐπὶ Χαιρώνδου Ἡγήμονος ἄρχοντος (uel sim.) aliaque exstant, ubi apodosis decretorum formam anacoluthi praebet, ubi decreta honoraria formulas πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας παρέχεσθαι, καλοκαγαθίας ἕνεκα, ἀναγορεῦσαι similesque exhibent, ubi corona duobus ludis pronuntiatur, ubi ὁ ναύαρχος, ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων, ὁ στρατηγὸς memorantur, ubi tam multa, quae in atticis decretis ansam offensionis et dubitationis afferunt, occurrunt. Haec autem terra, ad quam animos lectorum saepius iam conuerti, Asia minor est, unde efficitur, ut auctor decretorum inde ortus in conscribendis psephismatis atticis bona fide minus usum Atheniensium quam consuetudinem forensem, quae in oppidis patriae in primis ionicis constabat, secutus sit.

Obiiciat mihi quispiam: quid? nonne singula sunt, quae sententiae tuae aduersari uidentur? Nonne auctor, quem accipis, pagos atticos nouit recteque significat? Nonne singula nomina seu legatorum seu legum latorum peritiam quandam gentium Atheniensium ostendunt? Nonne et contiones ordinarias et extraordinarias more Atheniensium differt? Nonne forma decretorum in uniuersum cum actis publicis Atheniensium consentit? Cui responderi licet, omnia illa hac fere ratione facillime esse explicatu. Etenim cum auctor uir grammaticus uel rhetor esset, quis est, qui dubitet, quin tempus quoddam Athenis, »inuentricibus omnium doctrinarum, in quibus summa dicendi uis et inuenta est et perfecta« (Cic. de orat. I, 13), moratus sit, ut studia eloquentiae exerceret? Tum forsitan cognitionem illam

et notitiam pagorum gentiumque Atheniensium sibi parauerit, tum nescio an primis labris antiquitates atticas gustauerit, nihilominus autem addam, auctorem nomina seu legatorum seu aliorum uirorum aut, ubiubi fieri potuit, silentio praeteriisse (in § 184, p. 55), aut quadam ex parte non appellasse (in §§ 29 et 187, ubi quinque legati pro decem nuncupantur), aut, si Demosthenes ea memorauerat, non ea diligentia, quae in decretis atticis obseruabatur, significasse (*Ναυσικλῆς* in § 115. *Χαρίδημος*, *Διότιμος* in § 116), aut aliis locis iterum attulisse (*Κηφισοφῶν Ῥαμνούσιος* in §§ 29 et 55. *Δημοκράτης Φλυεὺς* in §§ 29 et 187).

Quae cum ita sint, *omnibus psephismatis Atheniensium in orationem de corona insertis nullam fidem habendam esse omnique ea auctoritate uacare, existimo, quippe quae non solum non ex ipsis tabulariis atticis autographis petita* (Boehnecke, Forschungen p. 350 § 1), *sed ficta sint a uiro quodam docto ex Graecis Asiam minorem incolentibus oriundo, cuius minus intererat, ut quam accuratissime antiquitates atticas, sermonem forensem genusque scribendi Atheniensium redderet, quam ut discipulis exemplaria, quae imitarentur, daret.*

Theses.

I.

In Dem. or. de cor. § 290 optime sic legitur: *Ἀκούεις, Αἰσχίνη, ὡς τὸ »μηδὲν ἁμαρτεῖν κτέ.«*

II.

In Dem. or. de cor. § 307 uerba: *λέγειν — ἐπὶ τούτων* pro glossemate habenda sunt.

III.

In Soph. Electr. uers. 411 recta mihi uidetur lectio esse:
ὦ θεοὶ πατρῷοι, συγγένεσθ᾽ ἔτ᾽ ἀλλὰ νῦν.

IV.

Hor. carm. I, 16 uerss. 5 sq. sic scribendi sunt:

'Non Dindymene, non adyti quatit
Mentem sacerdotem incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta
Si geminant Corybantes aera, etc.

V.

Decretum, quod Boeckh in Corp. Inscr. Gr. I, n. 120 inter decreta Atheniensium refert, atticum non esse arbitror.

VI.

Uerborum *ἔλεγος, ἐλεγεῖον, ἐλεγεία* origo optime ducitur ab Armeniorum uoce elêgn (cf. Boetticher: Zeitschr. f. d. Alterth. 1853 n. 11).

VII.

Formas optat. praes. med. uerborum goticorum, quae occurrunt, »faraizau, faraidau, faraindau« compositas esse existimo ex propria forma optat. »faraiza —« etc. et particula »u« notione initio interrogatiua.

YB 00121

471727

Wortmann

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY